


756121



19 Junij

6
4
24

118

Et
collezione librorum
Caroli
Ludovici

Avij Capta . dten contactus.

L

INITIA

PHILOSOPHIAE
THEORETICAE

QVAE IN USUM
PRAELECTIONUM SUARUM
CONGESSIT

HENRICUS SELS

PHILOSOPHIAE PROFESSOR.



B U D A E

TYPIS REGIAE UNIVERSITATIS HUNGARICAE.

1 8 1 3.



P A R S P R I M A .
O N T O L O G I A .

—••••—
P R O L E G O M E N A .

§. 1.

Ens dicimus id omne, quod aut est, aut esse potest.

§. 2. Ontologia est scientia praedicatorum entis generalium, et veritatum, quae ex aliis deducuntur. Dicitur etiam Ontosophia, Philosophia prima, Metaphysica.

§. 3. Praedicata entis generalia vel interna sunt, vel externa, sive relativa, et interna vel universalia sunt, quae nempe insunt singulis entibus; vel disjunctiva, quorum alterutrum est in singulis. Hinc Ontologia tractat (a) de praedicatis internis 1) universalibus; 2) disjunctivis; (b) de praedicatis relativis.

§. 4. Ex praedicatis generalibus deducuntur veritates generales, ex veritatibus generalibus cognoscuntur particulares; illae autem veritates, ex quibus aliae cognosci debent, sunt primae; hinc Ontologia complectitur veritates primas, sive principia cognitionis humanae prima.

§. 5. Sine cognitione veritatum primarum non attingitur gradus perfectionis, ad quem humana cognitio evehi potest; adeoque neque sine Ontologia. Patet ergo hujus scientiae utilitas. Sed tamen caveri debet, ne inutiles speculationes interserantur.

CAPUT I.

PRAEDICATA ENTIS INTERNA UNIVERSALIA.

SECTIO I.

POSSIBILE.

§. 6.

Contradictio est ejusdem de eodem simultanea affirmatio et negatio. Unde praedicata, quorum unum tollit, quod alterum ponit, contradictoria sunt. E. g. Simplex in partes divisibile. Id, de quo praedicata contradictoria dicuntur, contradictionem involvit, implicat, repugnat; e. g. figura triangularis quadrata.

§. 7. Contradictio vel vera est, vel adparens. Prior est, quae non tantum videtur esse contradictio, sed revera est: altera, quae tantum videtur esse, et non est contradictio. Sic quibusdam pauper religiosus in divite coenobio videtur contradictionem involvere; sed haec est adparens tantum.

§. 8.

§. 8. Contradictio vera vel patet, vel latet. Prior est, quae terminos intelligenti occurrit statim; posterior est, quae resolutione conceptuum, et ratiocinio evolvitur. Haec vel magis abstrusa est, vel minus, prout resolutio et ratiocinia ulterius instituenda sunt, ut contradictio pateat.

§. 9. Quod veram contradictionem involvit, est impossibile, est nihilum negativum, est non ens, nec esse, nec repraesentari potest; adeoque nullum est subjectum, ne repraesentabile quidem, cui convenirent praedicata contradictoria; sive: *Nihil est, et non est.* Veritas haec dicitur principium contradictionis, est primum hoc sensu, quod illo in dubium vocato nulla sit certa veritas; adeoque veritates omnes huic ultimato innitantur.

§. 10. Quod non est nihil, est *aliquid*, saltem repraesentabile; quidquid non involvit contradictionem, non est nihil (9); ergo est aliquid.

§. 11. *Possibile est*, quod non involvit contradictionem; hinc omne possibile est aliquid saltem repraesentabile, et est ens.

§. 12. Possibili ex praedicatis contradictoriis unum semper convenit. Nam ambo simul convenire nequeunt (9); neque etiam nullum convenire potest: hoc enim posito ambo praedicata possibili reipsa convenirent; e. g. Vel mundus est aeternus, vel non est aeternus: si negas primum, adfirmas alterum; si et negas secundum, adfirmas primum; ergo esset utrumque. Propositio dicitur *principium exclusi medii inter contradictoria.*

§. 13. Omne possibile est id, quod est; sive: omne subjectum est praedicatum sui. E. g.
Virtus

Virtus est virtus: si enim virtus non esset virtus, est, et non est virtus; hoc est impossibile. Propositio dicitur *principium positionis*, *identitatis*, *certitudinis*.

§. 14. Ratio est id, ex quo cognosci potest, cur aliquid sit, scilicet vel possibile, vel impossibile, vel actuale; cur hoc aut illud habeat praedicatum; cur hoc modo, et non alio sit, etc. E. g. Dum quaeris, cur homo errare possit, non autem Deus; cur mundus existat; cur quaedam actiones dicantur bonae, quaedam malae; cur hoc modo res confecta sit, et non alio, quaeris rationes, ex quibus haec omnia cognoscas.

Id, quod ex ratione cognoscitur, est rationatum ejus. E. g. Ex eo, quod vis intelligendi in homine finita sit, cognoscitur possibilitas erroris, et haec rationatum ejus est, etc.

§. 15. Ratio vel est *sufficiens*, vel *insufficiens*. Prior est, ex qua singula alicujus possunt cognosci; posterior, ex qua tantum aliqua possunt cognosci. E. g. Voluntas divina est ratio sufficiens existentiae mundi. Aqua est ratio insufficientis incrementi plantarum.

§. 16. Si ratio alicujus sit in ente ipso, dicitur *interna*; secus, *externa* est. E. g. Omniscientiae ratio est Deo interna. Voluntas Dei est ratio externa existentiae mundi.

§. 17. Si plures rationes sint ejusdem rationati, ita, ut ex iis rationibus nulla alterius rationatum sit, dicuntur *coordinatae*. Si vero plures sint rationes ejusdem rationati, ita, ut una ratio alterius sit rationatum, dicuntur *subordinatae*. E. g. Aer, aqua, terra, ignis sunt rationes coordinatae incrementi plantarum. Planta

A relate ad plantam C est ratio subordinata, si ipsa A fuerit ratio plantae B, et haec plantae C. Rationes tam coordinatae, quam subordinatae vel necessario, sive essentialiter tales sunt, vel contingenter, sive per accidens.

§. 18. Ratio *mediata*, remota magis, vel minus est illa ratio, cujus rationata sunt denique ratio rei. Ratio *immediata* proxima est illa, quae non est per aliquod suum rationatum, sed per se ipsam, ratio rei. Sic Deus est ratio mediata eventuum naturalium, et immediata supernaturalium.

§. 19. Ratio *ultima* rei, aut alio sensu prima, est illa, quae sui rationem nullam extra se habet. Ratio *intermedia* est illa, quae habet rationem sui extra se. E. g. Rationes intermediae eventuum naturalium sunt vires naturae. Ratio ultima potest esse mediata, aut immediata, sufficiens, vel insufficiens. Sic Deus est ratio ultima rerum in hoc mundo existentium: neque enim habet sui rationem extra se, sed intra se. Adam est aliqua ratio ultima hominum, in quantum ipse rationem non habet in alio homine. Itē: Deus est ratio ultima, et mediata eventuum, et ipse etiam est ratio immediata, et sufficiens effectuum supernaturalium. Adam est aliqua ratio ultima, et insufficiens hominum.

§. 20. Quo plura rationata ex ratione cognosci possunt, eo *faecundior* est ratio; quo graviora, eo *ponderosior*. Foecunditas, pondus, sive gravitas, dignitas, nobilitas determinant rationis *quantitatem*. Sic veritas de animarum immortalitate est ratio ex utroque capite magna. Ex his simul patet, quatenam ratio *infaecunda*, quatenam *minuta* dici debeat.

§. 21. In quorum uno inest aliqua ratio alterius, illa dicuntur *connexa*; adeoque ratio cum rationato, et vicissim, *connexa* sunt. Rationatum relate ad suam rationem dicitur *dependens*.

Praedicatum, aut nota illa, in qua nobis repraesentamus unum cum altero esse *connexum*, *nexus* est. Ut duo, aut plura *connexa* sint, non requiritur, ut unum alterius sit ratio *sufficiens*, aut *immediata*; sed potest esse *insufficiens*, *remota* etc.

§. 22. Quo plures et graviores rationes sunt in uno illius alterius, eo major inter illa duo est *nexus*, item: quo plura et graviora sunt illa, quorum ratio est in uno, eo *nexus* est major. Sic inter Deum et mundum datur *nexus* maximus; inter patrem et filium major, quam inter herum et famulum etc. Inde etiam patet, quomodo *quantitas* *nexus* decrescat, et quae *inconnexa* dicenda sint.

§. 23. Omne possibile habet rationem, et quidem *sufficientem*. Nam omne possibile debet posse cognosci: non enim est nihil, sed aliquid, saltem cognoscibile (11); ergo vel ex se poterit cognosci, vel ex alio: nam ex nihilo non potest cognosci aliquid, cum nihilum repraesentabile non sit. Si possit cognosci ex se, est ratio *possibilis interna*, si ex alio, est *externa*; in utroque tamen casu possibile habet rationem. Q. e. 1. Omne possibile, quatenus possibile, potest cognosci; sed ex ratione ad id *insufficiente* non posset ita cognosci; ergo ex *sufficiente*; ergo et illam habet. Q. e. 2. *Propositio* dicitur *principium rationis sufficientis*, vel inde satis probatum,

tum, quia nihil, siquidem non coeque velimus progredi, ut possibile admittimus, si nulla neque externa possibilitatis ratio allata fuerit.

§. 24. Omne possibile habet etiam rationatum. Nam dum unum possibile est, alia possibilia non fiunt impossibilia, et vice versa; ergo posito uno possibili possunt etiam poni alia; et vice versa; ergo vel possunt juxta se poni, aut post se; ergo conjungi; atqui haec conjunctio cum aliis possibilibus ex ipso possibili cognosci debet; ergo possibile est etiam ratio, seu habet rationatum.

Propositio dicitur *principium rationati*. Hoc principium etiam inductione satis certum fit.

§. 25. Posita ratione sufficiente ponitur ejus rationatum; et posito rationato ponitur ratio sufficiens. Nam imo, si posita ratione sufficiente non poneretur ejus rationatum, jam ratio esset sufficiens, ut est in hypothesi, et simul non esset sufficiens, cum ex ipsa nihil cognosceretur, aut non id totum, ad quod cognoscendum dicitur esse sufficiens. Deinde, si posito rationato non poneretur ratio sufficiens, jam esset aliquid sine ratione sufficiente, quod est contra §. 23. Ex his patet simul, sublata ratione tolli rationatum, et vice versa.

Observa: si quod rationatum potest esse a rationibus diversis, non licet ex sola rationati praesentia inferre determinatam rationem hanc. Sic in sacra Eucharistia sunt rationata, quorum ratio immediata aequae potest esse voluntas Dei, atque actiones panis et vini, Ex fide scimus, istorum rationatorum rationem esse voluntatem Dei, qua vult illas

insensibus nostris impressiones esse, quas efficeret pans et vinum, si adessent.

§. 26. Quod spectatur ut ratio, aut ut rati-
onatum, aut ut utrumque, spectatur *in nexu*.
Quod non spectatur in nexu, spectatur in se.

§. 27. Quod in se spectatum contradictionem involvit, est *impossibile in se, interne, absolute, simpliciter*. Quod in se spectatum contra-
dictionem quidem non involvit, sed tamen, si cum his, aut illis poneretur, dicitur *impossibile in nexu, extrinsece, hypothetice*. Sic quidem contradictionem non involvit hominem salvari, sed eundem obnoxium gravibus delictis salvari, est impossibile.

Ad impossibilia in nexu refert etiam illa, quae physice, et quae moraliter, sive ob repugnantiam cum lege, sive ob ingentem difficultatem impossibilia dicimus.

§. 28. Possibile in se etc. est, quod in se spectatum contradictionem non involvit. Possibile in nexu etc. est, quod etiam in nexu contradictionem non involvit.

§. 29. Quod semel fuit interne possibile, fuit tale semper, et manet tale semper. Nam cum, interna possibilitas constituatur ex praedicatis sibi non repugnantibus, relinquendo eadem praedicata, haec nunquam sibi repugnarunt, neque unquam sibi repugnare poterunt: sunt enim ex supposito praedicata sibi non repugnantia.

§. 30. Interne impossibilis nequit ulla ratione esse externe possibile. Cum enim interna impossibilitas constituatur ex praedicatis vere repugnantibus, relinquendo eadem praedicata fieri nulla ratione poterit, ut haec vere contradictoria non sint;

sint; adeoque unum in quacunque hypothesis id tollet, quod alterum ponit; idem autem nequit esse, et simul non esse; igitur nec interne impossibile externe possibile. Finge hypotheses quascunque, in nulla circulus quadratus crit possibilis. Patet simul, nullum externe possibile esse interne impossibile.

§. 31. Externe impossibile non ideo est etiam interne. Nam possunt in nexu quodam occurrere praedicata praedicatis entis alicujus contradictoria; hoc ipso autem illud in tali nexu impossibile est, licet in se, aut in nexu sit possibile. Sic possibile est judicem esse justum, pro casu tamen, quo innocentem cognitum talem condemnaret, hoc est impossibile.

§. 32. Impossible interne, et possibile interne non admittunt gradus. Interna enim impossibilitas est ex praedicatis se invicem destruentibus, nihil igitur remanet; non ens nequit magis aut minus esse non ens; ergo nec magis aut minus interne possibile. Interna possibilitas est ex praedicatis se nulla ratione destruentibus; ergo neque hic magis aut minus obtinet. Certe multitudo et granditas praedicatorum non est id, quod internam possibilitatem efficit; sed ipsa praedicatorum relatio, vicujus praedicata invicem non repugnant.

§. 33. Externe possible, et quaedam externe impossible admittunt gradus. Haec enim a variis circumstantiis, hypothesis, etc. dependent; et hinc erit aliquid eo magis externe possibile, quo plura, et graviora sunt illa, in quorum nexu ipsum possibile est; Eo erit ipsum minus possibile, quo ista pauciora et leviora sunt.

Sic

Sic adolescentem depravari eo magis possibile est, quo plures sunt pravi socii et quo lenocinia fortiora. Erit aliquid eo magis impossibile externe, quo plura, et grandiora sunt illa, in quorum nexu ipsum impossibile est. Sic adolescentem in virtute persistere eo magis impossibile est, quo plura sunt, et graviora, quae adit, pericula etc.



S E C T I O II.

D E T E R M I N A T U M.

§. 34.

Quatenus unum ex praedicatis contradictoriis ponitur enti convenire, et alterum non, eatenus ipsum *determinatur*. Illud praedicatum, quod ponitur enti convenire, *determinatio* est. Ratio, cur unum ex praedicatis contradictoriis enti convenit, et alterum non, est *ratio determinans*. Quatenus vero alterutrum ex contradictoriis enti convenire disjunctive ponitur, scilicet vel a, vel non a, eatenus est *indeterminatum*. Quatenus enti potest unum ex praedicatis contradictoriis convenire, eatenus dicitur ipsum *determinabile*. Sic sphaera, quoniam rotunda est, et nullatenus non rotunda, est quoad rotunditatem determinata, et determinatio est ipsa rotunditas. Corpus vero generatim spectatum, cum vel rotundum vel non rotundum ponitur, est quoad rotunditatem indeterminatum: quia tamen unum ex his esse

potest, est ipsum determinabile. Is, qui rotundum aut non rotundum efficeret, foret ratio determinans quoad unum ex his praedicatis.

§. 35. Ex praedicatis contradictoriis unum semper *positivum* est, alterum *negativum*; hinc et determinatio altera positiva est, altera negativa. Positiva, quae non tantum videtur esse positiva, sed revera est, dicitur *realitas*, et negativa, quae reipsa talis est, dicitur *negatio*, et *defectus*. Negatio adparens est *realitas cryptica*, e. g. immensitas. Realitas adparens est *vanitas*, e. g. vitium.

§. 36. Realitas vel est sine omni negatione, sive defectu, vel est cum defectu conjuncta. Si primum: ipsa est *pura, illimitata*. Si alterum: est *limitata*. Ipse ulterioris realitatis defectus *limites* est. Intellectus in homine est *realitas limitata*.

§. 37. Realitas una, quatenus realitas est, alteri, quatenus et ipsa realitas est, contradicere nequit. Nam realitas in se spectata est merum positivum (35.), hinc nihil negativum; in omni autem contradictione unum membrum est negativum; quidquid igitur alicui realitati, qua tali, contradicit, realitas non est. Atque hinc consequitur, realitatem puram et illimitatam, cum ipsa sit sine omni negatione, eo ipso esse possibilem.

§. 38. Determinationes, quae possunt in ente extra nexum spectato repraesentari, sunt *absolutae*. Quae non possunt in ente repraesentari, nisi ipsum spectetur in nexu, sunt *respectivae*. Hae si tales sint, ut non possint in ente repraesentari, nisi ipsum spectetur in nexu cum aliis extra ens positis, sunt *relationes strictius dictae*,
sive

sive determinationes externae. Sic voluntas est determinatio animae humanae absoluta. Dependētia voluntatis ab intellectu est determinatio respectiva, relativa latius dicta, cum voluntas non sit extra intellectum posita. Determinatio, qua aliquis Dominus est, est relatio stricta. Determinationes, quae externae non sunt, sunt omnes internae.

§. 39. Determinatio entis *propria* est illa, quae tantum in hoc ente repaesentari potest; quae vero in aliis etiam entibus repaesentari potest; dicitur *communis*. Entia eatenus *eadem* sunt, quatenus determinationes habent *communes*, eatenus autem *diversa*, sive *alia* sunt, quatenus eadem non sunt.

§. 40. Determinationes entis internae, quae sunt rationes reliquarum determinationum internarum primae, sunt determinationes *essentiales*, sive essentialia. E. g. Anima rationalis et corpus organicum sunt essentialia hominis.

§. 41. *Essentia entis* est essentialium complexus, sive interna entis possibilitas. Nam ex eo res aliqua interne possibilis est, quia in se, sive in suis determinationibus internis spectata non involvit contradictionem (28); sunt autem essentialia determinationes internae, quae simul sumtae sibi non contradicunt: caeteroquin haberetur impossibile (27); hinc possibilitas interna idem est, quod est essentialium complexus; hunc autem esse essentiam per se patet, cum essentia ex essentialibus constituatur, sine quibus ens est non ens, sive impossibile. Anima rationalis, et corpus organicum in artissima sua conjunctione repaesentata constituunt essentiam hominis, si-

ve ejus possibilitatem internam, dum sibi non contradicunt, et sunt rationes reliquarum determinationum internarum in homine primae illarumque fontes.

§. 42. Determinationes internae, quae habent rationem sufficientem in essentia, sunt *attributa*; quae vero in eadem non habent rationem sufficientem, sed tantum insufficientem, si ve, quarum tantum possibilitas habet rationem sufficientem in essentia, sunt *modi*. E. g. Facultas distincte cognoscendi est attributum hominis, et ipsa actualis cognitio est modus.

Omne possibile est ratio (24.), hinc omnis essentia habet sua attributa, adeoque cum posita ratione sufficiente ponatur ejus rationatum (25); posita essentia ponuntur attributa; sed eadem posita non ponuntur necessario modi.

§. 43. Determinatio entis interna vel potest intelligi in ente in se spectato, vel non potest intelligi, nisi adsumatur aliud. Si primum: determinatio dicitur *qualitas*; Si alterum: dicitur *quantitas*. E. g. Ratio in homine qualitas est; sex pedum longitudo quantitas.

§. 44. Entia, quae eadem sunt ratione qualitatum, dicuntur *similia*; quae eadem sunt ratione quantitatum, *aequalia*; quae ratione utrarumque eadem sunt, *congruentia*. Quid horum opposita sint, jam satis intelligitur.

§. 45. Omne ens est quoad aliqua determinatum. Nam habet suas determinationes essentielles eo ipso, dum possibile est, habet etiam sua attributa, cum omnis essentia habeat sua rationata; hinc omnino indeterminatum nihil est.

§. 46.

§. 46. Omnis determinatio entis vel est interna, vel externa, adeoque vel essentielle, vel attributum, vel modus, vel relatio.

§. 47. Determinatio illa, qua ens plus est, quam mere possibile, est *existentia*, sive actualitas. Haec enti interna est; adeoque non est relatio, nec relatio ad existentiam in se spectatam pertinet. *in quo adfertur de intellectu*

§. 48. Existentia aliquid ponit in ente: facit enim ipsum esse plus, quam mere possibile; hinc ipsa est determinatio positiva, et vere talis; adeoque realitas; et cum in ente in se spectato intelligi possit, est determinatio interna (43).

§. 49. Existens habet semper omnes suas determinationes internas praeter essentiam in spso simul possibles: si enim non haberet semper omnes determinationes internas simul in ipso possibles, jam aliquando neutrum ex praedicatis contradictoriis, quorum tamen unum existenti convenire posset, ipsi non conveniret; hoc est impossibile. Sic homo existens aut doctus est, aut non est doctus; aut pius, aut non pius; aut magnus, aut non magnus.

§. 50. Quod habet omnes suas determinationes internas praeter essentiam in ipso simul possibles, est *omnino*, et *omnimode* interne determinatum; adeoque existens est *omnimode* interne determinatum.

Quia ex determinationibus internis praeter essentiam in ente possibilibus ipsum existens a mere possibili optime discernitur, quidam existentiam definiunt, esse complexum omnium determinationum internarum praeter essentiam in ente compossibilem. Sed numquid

tionel
inducen
spat
aut
agere

quid existentia ante multas ejusmodi determinationes supponi debet? Quid igitur, si dicatur existentia est illa entis determinatio, quae est ratio, cur in ente insint omnes determinationes praeter essentiam in ipso simul possibiles?

§. 51. Omnis determinatio existentis interna vel ad essentiam ipsius, vel ad existentiam saltem ut existentis, aut existendi modus pertinet. Nam praeter haec in existente secundum se spectato nihil occurrit (47).

§. 52. Singulae determinationes entis connexae sunt cum singulis. Nam 1mo essentialia invicem connexa sunt: habent enim commune rationatum essentiam; haec intelligi nequit, nisi simul cognoscatur unum essentialia esse rationem aliquam illius rationati, cujus et alterum essentialia est aliqua ratio; adeoque ex uno essentiali cognoscitur aliquod praedicatum alterius, et vice versa; hinc connexa sunt. 2do: Quodlibet attributum, et quivis modus connectitur cum essentialibus: nam illa habent in essentia, adeoque in essentialibus, rationem sufficientem; hi rationem insufficientem (42), sed aliquam tamen; adeoque cum eadem ratione et attributa, et modi connectuntur. 3tio. Attributa et modi inter se singula connectuntur: nam ex singulis debet posse cognosci compossibilitas et compatibilitas eorundem in eodem ente. 4to. Relationes entis cum essentialibus, essentia, attributis, et modis connexae sunt: nam et ex his singulis, et ex relationibus compossibilitas singulorum, et omnium cognosci debet; ergo ex uno semper cognosci potest aliquid alterius, et v. v.; ergo

singula entis cum singulis connexa sunt (21);
 nexus singulorum cum singulis, omnibus in ente
 est nexus *universalis et harmonia*; in omni igitur
 ente est nexus universalis.

S E C T I O III.

U N U M.

§. 53.

Determinationes entis sunt *separaibiles*, vel *inseparaibiles*. Utraeque, vel *absolute* (27.), vel *hypothetice* tales. Sic anima hominis est et *absolute*, et *hypothetice* separabilis a corpore; ratio vero ab anima hominis est *absolute* inseparabilis; sensus dolorum in tauro Phalaridis est *absolute* ab homine separabilis, sed tamen *hypothetice* inseparabilis.

§. 54. *Essentialia* entis sunt *absolute* inseparabilia. Nam illud est *absolute* ab ente inseparabile, quo separato destruitur essentia; separatis essentialibus ipsa destruitur: essentialium enim complexus constituit essentiam (41.); adeoque essentialium nullum tolli ab altero potest.

§. 55. Cujus determinationes inseparabiles sunt, *unum* dicimus, et siquidem per se inseparabiles sint, est *unum transcendentáliter, ontologicé tale*. Omne ens est *unum transcendentale*. Cujus determinationes sunt *hypothetice* inseparabiles, est *unum hypothetice*. Homo est *hypothetice unum*, quamdiu ut homo operari debet. Qualis inseparabilitas, talis et unitas, nempe: alia *absolute*, alia *hypothetica*.

§. 56. Plura, e quibus singula partim eadem, partim diversa sunt (39.), dicuntur *multa*. Quod non est multa, est *unum categorice* tale. *Multitudo* est illa determinatio, quae convenit rebus, quatenus multa sunt, et *unitas*, quatenus non sunt multa.

§. 57. In omni ente datur multitudo: dantur enim essentialia et attributa in quovis ente (41. et 42.); haec singula una sunt partim eadem, dum idem ens constituunt; partim diversa, dum diversis notionibus concipi debent; adeoque multa sunt. Nulla multitudo intelligi determinate potest, nisi adsumatur unum aliud, quocum singula comparentur; hinc multitudo est quantitas (43.), et quaevis quantitas est multitudo: nequit enim quantitas in ente concipi, quin concipiantur multa, quae singula una sunt cum uno alio comparanda, quod unum *mensura* dicitur. Sic nequit concipi civitas, quin concipiantur multi cives. Potest igitur quantitas-entis dici multitudo determinationum eius. Multa, quae in qualitatibus (43.) insunt, speciatim *gradus* dicuntur, et quantitas ex iis, *quantitas intensionis* est.

§. 58. Unum aliquod tale, quale multa non sunt, est *unicum*. Deus est unicus Deus. Aristoteles non erat unicus Philosophus.

S E C T I O I V .
O R D I N A T U M .

§. 59.

Determinatio, quae ex ratione aliqua determinata cognosci potest, eidem rationi *conformis*, conveniens, consentiens dicitur. Sic Actio Alexandri, pecuniam a Dario oblatam respicientis, erat conformis animo nobiliter sentienti; sed illa, qua pacem negabat, animo ambitioso. Determinatio, quae ex determinata aliqua ratione cognosci nequit, illi rationi *diformis*, disconveniens, etc. dicitur. Sic actio alteri noxia ex amore, quem alter alteri debet, nequit cognosci; est igitur huic difformis, et contraria. Potest eadam determinatio esse conformis huic rationi, et difformis alteri, imo eidem rationi in aliquibus esse conformis, in aliis difformis, sicuti pictura prototipo; et magis, aut minus conformis, aut difformis.

§. 60. Judicium, quod enunciat conformitatem determinationis cum *ratione* regula est. Haec *vera* est, si enunciat conformitatem determinationis cum illa ratione, quacum deberet esse conformis; *falsa* est, si enunciat conformitatem cum tali ratione, quacum non deberet esse conformis. Sic vera est reugla haec: si quid faciendum tibi est, examina, an honestum sit, et si quidem tale cognoveris, tunc fac, si per vires tuas possis. Falsa est haec: si quid tibi faciendum est, examina vires, et si pares deprehendaris,

ris, fac: non enim potentia juris ratio est, sed honestas. Determinatio quaelibet est alicui rationi conformis (23.); adeoque etiam habet regulam; sed conformitas cum regula falsa semper defectus est.

§. 61. Regulae quantitas desumitur 1) ex ejus *extensione* ad plures determinationes. E. g. Perfice te, est regula patens latius, quam haec; defende vitam tuam. 2) Ex gravitate, pondere, *dignitate* rationis, cui regula innitur. E. g. Amicitia Dei est ratio gravior, quam hominis amicitia; hinc et regula major haec; Stude esse amicus Dei, quam: Stude esse amicus hominum. 3) Ex *foecunditate* rationis. E. g. Felicitas hominis est ratio foecundior, quam honor; hinc et regula major: Stude felicitati tuae: quam: Stude honoribus. Quantitas regularum etiam earundem *robur* dicitur, ita. ut regula major sit fortior, minor debilior; adeoque cum ratio remotior semper sit gravior, et ultima gravissima, regula, cujus ratio remotior est, est et major, et fortior altera, cujus ratio ita remota non est. Sic honor Dei est ratio ultima et maxima, felicitas nostra est intermedia, et conservatio vitae proxima, et inter has tres minima. Regula, cujus ratio remotior est, *superior*; cujus minus remota, relate ad aliam *inferior* adpellatur.

§. 62. Regulae duae, aut plures dicuntur *collidi*, si in casu particulari omnes servari nequeant; hinc *collisio* est regularum in casu particulari oppositio: quae, si reipsa adsit, est *collisio vera*; si adpareat tantum adesse, non autem reipsa adsit, est *collisio adparens*, et falsa. Sic circa militem, si praeliandum est, datur *collisio vera*

vera harum regularum: vita pericula vitae, et: contemne pericula vitae. Falsa collisio haec: Stude religioni, et: Stude philosophiae.

§. 63. In vera collisione una regula negligi debet. Ab illa, quae negligitur, dicitur fieri *exceptio*. Docet philosophia moralis, a regula minore debere in collisione exceptionem fieri.

§. 64. Plura, quae ex eadem communique ratione cognosci possunt, conveniunt, et regulam habent eandem. Quae ex eadem ratione cognosci nequeunt, disconveniunt, et regulas habent diversas. E. g. Si in bibliotheca ratio dispositionis librorum adsumatur identitas materiae, hic ille, iste liber in eandem classem reponuntur, quia de eadem tractant materia, sive quia in ratione dispositionis conveniunt, eandemque habent regulam. Hic, aut ille liber in hanc classem reponi non debet, quia diversam tractat materiam; adeoque eandem pro hac classe rationem, et regulam non habet.

§. 65. Plura, quae ex eadem ratione vel post se, vel juxta se ponuntur, sive conjunguntur, *coordinantur*. Conjunctio plurium ex eadem ratione est *coordinatio*; et coordinatorum in eadem ratione convenientia est *ordo*. Conjunctio plurium, quae non eandem rationem, adeoque nec regulam eandem habent, est *confusio*. Sic in bibliotheca eatenus esset confusio, si intra eandem classem libri de diversis materiis tractantes essent repositi. Respectus singulorum determinatus ex cujusque cum aliis conjunctione, est *positus*.

§. 66. *Ordo simplex* est, qui regulam habet unam; *compositus* est, qui regulas habet plures.

E.

E. g. Si libri in bibliotheca secundum materiam, et annum editionis dispositi sunt, est in bibliotheca ordo compositus. Quantitas ordinis ex multitudine, et quantitate (62) regularum, et ex positorem cum ratione conformitate majore, aut minore cognosci debet.

§. 67. Omne ens habet aliquem ordinem: in omni enim ente dantur plura (58), et coordinata, dum vel juxta se, vel post se ex eadem ratione concipiuntur, et convenientia cum eadem, aut iisdem rationibus, dum conveniunt cum principio contradictionis (9), et rationis sufficientis (23).

S E C T I O V.

V E R U M.

§. 68.

*V*eritas metaphysica, objectiva, realis est convenientia determinationum entis. Aliis est convenientia cum principiis primis: quae notio reip-sa cum priore coincidit. *Falsitas* esset inconvenientia determinationum. Potest utraque notio veritatis ad veritatem physicam, logicam, et moralem applicari.

§. 69. Certitudo objectiva est *cognoscibilitas clara veritatis*; et cum claritas admittat gradus, etiam eosdem admittit certitudo.

§. 70. Omne ens est verum, et certum objective. Nam omnes determinationes entis conveniunt, dum in eodem uno ente compossibiles sunt (53); ceteraquin si vel una esset incompos-

sibilis cum aliis, in eodem ente contradictio foret; quod esse nequit. Deinde etiam varia, quae in ente insunt, cognosci possunt, horumque convenientia; adeoque veritas entis. Et praeterea dum varia entis cognosci possunt, simul discrimen ejus ab aliis, et veritatis ab aliis veritatibus cognosci potest; cognitio autem alicujus cum suo discrimine est cognitio clara; ergo entis veritas cognosci clare potest; est igitur omne ens verum, et certum objective.

 S E C T I O VI.

P E R F E C T U M.

§. 71.

*P*erfectio est consensus variorum ad id obtinendum, aut conservandum, quod per haec varia obtineri, aut conservari debet. Sic, si inter partes horologii sit consensus in adsignationem adcuratam horarum, ipsum eatenus dicitur perfectionem habere, seu esse perfectum; item: Dei perfectio dicitur summa, quia in ipso singula, et omnia realissima in infinitam beatitatem ab aeterno in aeternum concurrunt.

§. 72. *I*mperfectio est defectus consensionis variorum ad id obtineadum etc. Sic horologium imperfectum, in quo partes non consentiunt ad adsignandas adcurate horas. Et imperfecta dicitur civitas, in qua civium actiones non consentiunt in salutem publicam promovendam. Defectus ille consensionis vel consistit in mero non
con-

consensu, vel in dissensu: hoc est: vel quaedam in re non habent rationem illius, quod obtinendum, aut conservandum est, et etiam non habent rationem oppositi; vel habent rationem oppositi. Sic quaedam ornamenta horologii ad adsignationem horarum nihil conferunt, etiam eisdem non obsunt: sed rotula vitiata obest etc.

§. 73. Id, ad quod obtinendum, aut conservandum varia tendunt, *ratio perfectionis determinans* est. Sic adsignatio horarum est ratio determinans perfectionem horologii etc. Iudicium hanc rationem enuncians, regula perfectionis est. In omni perfectione occurrunt regula (61.), et ordo (66).

§. 74. Si ratio perfectionis determinans fuerit unica, *perfectio simplex*; si rationes fuerint plures, est *perfectio composita*. Sic in horologio est perfectio composita, si horas non tantum indicet, sed etiam sonitu manifestet.

§. 75. Quantitas perfectionis desumitur 1) ex multitudine, et magnitudine variorum consentientium; 2) ex multitudine, et magnitudine rationum determinantium; 3) ex consensione adcuratiore.

§. 76. Cum in omni ente essentialia in essentiam, et attributa consentiant, atque essentiae, et attributorum sint ratio; adest in omni ente perfectio. Consensio essentialium est *perfectio essentialis*, et metaphysica est. Consensio attributorum, modorum, relationum est *perfectio extraessentialis*. Attributorum, et modorum *interna* (ab aliquibus utraque interna *accidentalis* dicta); relationum consensio *externa* entis perfectio dicitur. E. g. Facultates ex cognitionibus distinctis adpetendi, et aversandi sunt attributa
ho-

hominis, et perfectiones internae extraessentiales; virtus et doctrina sunt modi, et perfectiones internae extraessentiales variabiles; opes, et honores sunt relationes, et perfectiones externae; corpus, et anima rationalis sunt hominis perfectiones essentialis, et consensus corporis, et animae in hominem uno nomine perfectio essentialis est.

§. 77. *Bonum* dicimus id, quo posito ponitur perfectio; adeoque, quatenus ipsum perfectum est, et cum perfectionibus connexum, vel ut ratio, vel ut rationatum, vel ut utrumque simul. Sic Deus dicitur summum bonum, quia summe perfectus, et fons perfectionum omnium est. *Bonitas* itaque entis in ejus perfectione, connexisque cum ipso perfectionibus sita est, atque totuplex, quotuplex perfectio, et tanta, quanta perfectio. Cumque ulterius omne ens sit perfectum (76), est et bonum bonitate metaphysica, sive transcendentali.

§. 78. Sequitur ex hoc capite, omne ens esse possibile, esse rationem, esse rationatum; hinc connexum, esse determinatum, unum, ordinatum, verum, perfectum, bonum ipsumque pro varia multorum, quae in ipso concipi possunt, consideratione his praedicatis posse adpellari; quae cum habeant in ipso ente rationem, sunt etiam ipsius praedicata interna. Si tamen quaedam ex ipsis considerentur, ut habentia rationem in aliis entibus extra hoc ens positis, tum sunt in hac consideratione relativa, uti considerari possunt e. g. ordo, et perfectio: sed tunc et ordo relativus, et perfectio relativa dicuntur.

C A P U T II.

PRAEDICATA INTERNA DISJUNCTIVA E N T I S.

S E C T I O I.

NECESSARIUM, ET CONTINGENS.

§. 79.

*N*ecessarium est id, cujus oppositum est impossibile. Aliud est *absolute*, aliud *hypothetice* necessarium. Sive: aliud *metaphysice*, aliud *physice*, aliud *moraliter necessarium* (confer §. 27.). Necessitas absoluta etiam *interna*, *hypothetica externe* dicitur.

§. 80. *Contingens* est oppositum necessario; adeoque contingens est id, cujus oppositum non est impossibile. Sic contingens est nos hic adesse. Aliud *absolute*, sive *interne*, cujus in se spectati oppositum non implicat; aliud *hypothetice*, sive *externe contingens* est, cujus etiam in nexu cum aliis spectati oppositum non est impossibile. De quantitate tam necessitatis, quam contingentiae idem dicendum, quod de quantitate possibilitatis, et impossibilitatis (32. 33.).

§. 81. Quod est *absolute necessarium*, sub nulla hypothesis contingens esse potest: si enim sub aliqua contingens esse posset, iam oppositum

tum illius sub illa conditione non implicaret; adeoque oppositum non esset absolute impossibile (30.), quod est contra notionem; adeoque et illud, quod est sub aliqua hypothese contingens, non est absolute necessarium.

§. 82. Hypothetice necessarium est in se contingens: est enim tantum sub certa hypothese necessarium; adeoque non absolute, sive in se; quod autem non est in se necessarium, et tamen est, hoc est in se contingens (80).

§. 83. Quod est in se contingens, potest esse hypothetice necessarium: nihil enim vetat, quominus adsit hypothesis, sub qua oppositum in se contingentis fiat impossibile. Sic pluviam ex aëre decidere, est in se contingens, idem tamen hypothetice necessarium, si elevati in aërem humores graviores evaserint, quam ut ab aëre sustentari possint.

§. 84. Essentiae rerum, essentialia, et attributa sunt necessaria. Nam primo essentialia rerum sunt earundem internae possibilitates (41); hae autem nequeunt esse impossibilitates (29); adeoque essentialium oppositum est absolute impossibile; hinc ipsae absolute necessariae. 2do. Essentialia sunt necessaria: nam, si statuatur, vel unius essentialis oppositum in ente esse possibile, statuitur in ente possibilis esse contradictio. Remove ab homine rationem; homo non erit homo ob defectum unius essentialis. 3tio. Et attributa: sunt enim rationata essentialium, et essentialium (42); ergo aequae necessaria, atque suae rationes (25). Sic facultas cogitandi in homine est absolute necessaria.

§. 85. Nec modi, nec relationes sunt determinationes entis absolute necessariae. Non modi: non enim habent rationem in essentia sufficientem (42); adeoque essentia posita idcirco non ponuntur modi; si autem posito uno aliud non ponitur, jam hoc illi absolute necessarium esse nequit. Non relationes: nam quod enti est absolute necessarium, est eidem in se spectato necessarium (26): necessitas enim absoluta est ex oppositi impossibilitate absoluta (17); jam autem, si ens tantum in se spectetur, nulla occurrit relatio (38); ergo neque relationes absolute necessariae enti sunt. Sic ipsae relativae determinationes Dei ex mundo non sunt absolute necessariae licet sint necessariae hypothetice.

§. 86. Unitas, ordo, veritas, perfectio, bonitas, metaphysice spectata, sunt determinationes entis absolute necessariae: sunt enim attributa entis. Sed tamen haec necessitas non obest, quominus aliquid possit esse in alia consideratione; quam metaphysica; contingenter unum, ordinatum, etc. quae omnia ex oppositi possibilitate determinanda sunt. Sic certe contingens est homini doctrina, bibliothecae ordo etc.

§. 87. Ens, quod in essentia sua rationem sufficientem existentiae (47.) habet, est ens *in existendo necessarium*. Quod vero in essentia rationem existendi sufficientem non habet, est *in existendo contingens*. In primo existentia est attributum; hinc absolute necessaria; in altero est modus; adeoque contingens.

§. 88. Ens in existendo necessarium est possibile. Neque enim in eo est contradictio: non primo, si generatim spectetur essentia: haec enim

enim ex sua ratione nec infert, nec excludit existentiae rationem sufficientem, cum sit interna entis possibilitas; adeoque cum ratione ad existendum sufficiente, quantum est ex conceptu essentiae, etiam eatenus datur in essentia compossibilitas, ut ipsa haec ratio in essentia possit contineri. Deinde ex parte rationis non datur contradictio: nam ratio ad existendum sufficiens certo realitas est, cum ipsa existentia realitas sit (48); in negatione autem non possit esse ratio sufficiens realitatis; ac proinde, cum et essentialia, et essentia realitates sint (34); realitas vero una, quatenus realitas est, alteri contradicat, nec ratio ad existendum sufficiens in se spectata contradicit essentiae; adeoque potest essentia aliqua concipi, in qua insit ratio sufficiens ad existendum, sive, quod idem est, ens in existendo necessarium est possibile.

§. 89. Ens in existendo necessarium nequit esse nude possibile, sed est semper actuale. Nam cum ipsum interne possibile sit, est tale semper (29); hinc semper posita est ratio ad existendum sufficiens; ergo et rationatum, sive existentia (25).

§. 90. Ens in existendo necessarium quoad existentiam suam a nullo alio ente dependet: ipsius enim existentia est rationatum propriae possibilitatis; adeoque nullum aliud ens est hujus existentiae efficiens ratio; ac proinde ab aliis entibus ipsa independens est; potest igitur existere ens necessarium non existentibus aliis.

§. 91. Neque quoad ullam determinationem internam ab alio ente ipsum dependet. Nam, quod existit est omnimode interne determinatum (49); habet igitur omnes suas determinaciones

independentem ab omni alio ente; ergo et illa, quae in ipso insunt, independentia sunt ab omni alio ente; adeoque ens necessarium est interne omnino independentem.

§. 92. Ens in existendo contingens quoad existentiam suam dependet ab alio. Nam hujus existentiae oppositum, sive non existentiae est possibilis; igitur non habet rationem in essentia, neque in attributis, ante existentiam autem in ente nihil concipi potest praeter essentialia et attributa; ergo existentia contingens in ente ipso rationem sufficientem non habet; ergo hanc habet in alio; adeoque ipsa dependens est (21), et existentia dependens est absolute contingens: si enim ens dependenter existens in se spectetur, existentiae ratio sufficiens in ipsius essentia non deprehenditur; adeoque ob rationem contrariam ens in existendo independentem est absolute necessarium.

§. 93. Nequit ens contingens existere, nisi existat ens necessarium. Nam existentia ipsius habet rationem sufficientem in alio; ergo vel in contingente, vel in necessario; non primum: nam illud ipsum contingens habet etiam rationem existentiae suae in alio; et sic transeundo per seriem quantamcunque contingentium, et existentiae singulorum, et omnium totius seriei, ratio adequate sufficiens et ultima in contingente inesse nequit: haec tamen ratio, si ens contingens existat, in aliquo dari debet; ergo in ente necessario: nam praeter contingens non est aliud ens, quam necessarium; adeoque dato ente contingente datur et necessarium.

S E C T I O II.

MUTABILE, ET IMMUTABILE.

§. 94.

*S*tatus entis est complexus determinationum enti quocunque modo convenientium. Complexus determinationum internarum est status *internus*, externarum *externus*. Sic ad hominis statum internum pertinent corpus, anima, valetudo, virtus etc.; ad externum divitiæ et honores.

§. 95. Cujus status alius esse potest, atque est, *mutabile*; *immutabile* vero dicitur, cujus status alius esse nequit, atque est. Utrumque vel *absolute* tale est, vel *hypothetice* pro possibilitate nempe, aut impossibilitate (27. 28.) mutationis.

§. 96. Cujus status internus alius esse potest, atque est, dicitur *interne mutabile*; cujus externus etc., *externe mutabile* est. *Interne immutabile* etc. quid sit, ex his simul patet.

§. 97. Quod necessarium est, est *immutabile*, et v. v.; et, quod contingens est, est *mutabile*, et v. v. Nam quatenus aliquid necessarium est, eatenus ipsum nequit fieri aliud: Si enim fieret aliud, jam non esset id, quod erat ante; adeoque esset ejus oppositum; est autem necessarii oppositum impossibile; ergo ipsum nequit fieri aliud; est igitur *immutabile*. Et vicissim: nam *immutabile* est, quod nequit fieri aliud; ergo oppositum ipsius est impossibile, et hinc ipsum est necessarium. Contraria sunt in contingenti et mutabili, uti ex notionibus facile patet.

§. 98.

§. 98. Quod est absolute mutabile, potest esse hypothetice immutabile. Nam, quod est absolute contingens, potest esse hypothetice necessarium (83); ergo etiam sub hac hypothesis immutabile (97).

§. 99. Nulla alia determinatio interna in ente mutari potest, nisi modus; neque enim ulla alia in ente contingens est. Mutatio modi *modificatio* dicitur.

§. 100. Ubi existentia non est modus, sed attributum, nequit ipsa mutari; in ente igitur in existendo necessario existentia est immutabilis, et hinc si quaedam interna determinatio, ad existentiam illius entis quacunque ratione pertinens (51), in eodem inesse ponatur, est et haec immutabilis saltem hypothetice. Sic libera volitio Dei, qua mundum voluit existere, est immutabilis. Nam si talis determinatio, dum adesse ponitur, in illo ente non esset immutabilis, neque existentia esset immutabilis: posset enim ipsum alio modo, aut aliter modificatum existere, quam uti existit; adeoque et existentia non foret tum omnino eadem, quae erat ante, adeoque mutata. An ex his non sequitur necessitas illius divinae volitionis, adeoque et mundi? R. Non. Nam licet existentia necessaria sit, non tamen necessarius est absolute modus hic analogicus in existente.

§. 101. Mutabilitas status externi non obest immutabilitati internae. Nam, cum status externus sit complexus determinationum externarum; determinatio autem externa non sit interna; potest illa esse mutabilis, quin haec sit mutabilis. Sic certe statua interne non mutatur, dum a par-

te ipsus dextra transis ad sinistram. Mutatio relationum quibusdam brevitatis causa *variatio* dicitur.

S E C T I O III.

SUBSTANTIA ET ACCIDENS.

§. 102.

Quod ita existere potest, ut non sit determinatio alterius, sive ut non sit in alio, dicitur *substantia*. Quod vero existere nequit, nisi ut alterius determinatio, *accidens*, est. E. g. Rotunditas in ligno accidens, ipsum lignum substantia dicitur.

Caveri omnino debet, ne substantia confundatur cum essentia: habet quaelibet substantia essentiam suam eo ipso, quod possibilis sit. Quaeruntur a Philosophis essentialia substantiae generatim spectatae: sed eadem nondum ita detecta sunt, ut substantiae conceptus distinctus determinatus formari possit. Hinc ingens circa substantiae notionem dissensus, et ex arbitrarie adsumtis notionibus quibusdam errores graves, et perniciosi. Sufficiat data ad substantiam ab accidente tantisper distinguendam.

§. 103. Omne ens vel est substantia, vel accidens: vel enim potest existere, quin debeat esse determinatio alterius, vel non potest.

§. 104. Accidentia nequeunt existre nisi in substantiis. Cum enim existere nequeant, nisi ut determinaciones alterius, existere etiam nequeunt nisi in aliis: neque enim determinatio sine determinato esse potest; praeter accidens autem quidquid est, substantia est; adeoque, si accidentia actu sint, non sunt nisi in substantiis, et ipsae accidentium determinaciones denique substantiarum, quibus accidentia inhaerent, determinaciones sunt, et substantiae existentes *subiecta physica*.

Quae contra hanc propositionem a peripateticis quibusdam nostrae religionis Theologis propter mysterium Eucharistiae obmoventur, adeo magni momenti non sunt: quae enim ipsi putant ibi remanere accidentia, ut vocant, absoluta sine panis et vini substantiis, non sunt nisi impressiones in nostra organa, quas Deus tales esse vult, quales essent, si revera adesset panis et vinum; adeoque cum illae erant ante consecrationem tales, quales post eandem sunt, recte dicuntur facta consecratione manere.

§. 105. Dicitur ens *agere*, dum facit aliquid existere, sive illud aliquid substantia sit, sive accidens; adeoque agens continet in se rationem existentiae alterius. *Pati* dicitur ens, si in ipso per alterius actionem aliquid fit existens. *Actio*, et *Passio* sunt abstracta $\tau\theta$ agere et pati, et si ponuntur esse, sunt entium determinaciones. Actio patientis inagens, est reactio, mutua actio et reactio *conflictus*.

§. 106. Si agens agit in aliud extra se, dicitur *influer*; est igitur *influxus*, alias *actio transiens*,

siens, actio agentis in aliud extra se. Si vero agens agat in se ipsum, actio dicitur *immanens*. E. g. Anima movens corpus influit, sive *transeunter* agit; ipsa, dum cogitat, *immanenter* agit.

§. 107. Illud in ente, e quo cognosci ultimo potest ipsum agere, aut posse agere, est *vis*. Haec, si consideretur tantum ut ratio potentiae agendi, dicitur esse *in actu primo*; vis in *theoria*; si consideretur ut ratio actionis, dicitur esse *in actu secundo*, vis in *praxi*, *vis adplicata*. In priore consideratione dicitur etiam vis in sensu latiore sumi; esse ratio actionis insufficientis; in secunda, sumi, in sensu stricto, esse ratio sufficientis actionis.

§. 108. *Vis primitiva* entis est illa, quae est ratio reliquarum virium entis omnium, et vires *derivativae* sunt rationata vis primitivae, et dici possunt *facultates*. Aut: vis primitiva est, in quam reliquae omnes resolvuntur; ipsa vero in nullam, et derivativae, quae in primitivam resolvuntur. Sic vis repraesentandi habetur primitiva animae, facultates abstrahendi, combinandi, ratiocinandi etc. vires derivativae ejusdem animae.

§. 109. *Vis composita* est, quae est ex pluribus virtutibus; et *simplex*, quae non est ex pluribus. In machinis compositis habetur etiam compositio virium, et in animalibus compositio facultatum.

§. 110. Quantitas vis ex multitudine et magnitudine eorum, ad quae producenda ipsa sufficit, et facilitate, qua ista producit, desumenda est. Sententia tractans de viribus est *dynamica*, et de iis mensurandis *dynameometria*.

§. 111. Potentia patiendi in ente ejusdem *capacitas*, etiam *receptivitas* dicitur. Sic metallum liquefieri ab igne potest; potest igitur hunc statum suscipere.

§. 112. Quod est ratio, ne vis ad agendum sufficienter determinata agere possit, est *impedimentum*. Sic vis gravitatis ad lapidem e filo suspensum deorsum movendum est sufficienter determinata, sed motus non consequitur, dum filum retinens impedit. Impedimentum actionis speciatim *resistentia* dicitur.

§. 113. *Conatus, intentio*, est ipsius vis ad agendum determinatio, quae erit, quantum est ex parte ipsius vis, sufficiens, si ad actum nihil praeterea requiratur, quam semotio impediendi, si quod tale sit.

§. 114. *Vis*, quae se ipsam sufficienter determinare ad agendum potest, dicitur *activa per se*; quae vero ad agendum ab aliis viribus determinari debet, eatenus non est activa per se. *Vis agens viva*, non *agens mortua* dicitur.

An omnis vis saltem in conatu agendi semper est constituta? Quantum scio, hoc a priori hucusque nondum demonstratum est, cum ipsae notiones, ex quibus hoc quidam deducere conantur, nondum sint demonstratae; a posteriori vero id demonstrari nequit.

§. 115. Ubicunque est vis, ibi est substantia. Nam vis vel est substantia, vel accidens (103); si primum: patet propositio ex se. Si alterum: patet eadem ex §. 104.

§. 116. Ubicunque est agens, aut patiens, aut conans, ibi est substantia: actiones enim et passiones, et conatus sunt determinationes; hinc,

si sunt, sunt in substantiis (104.); ergo etiam, si non est substantia, impossibilis, est actio etc.

An, ubicunque est substantia, ibi etiam est vis? Est, si vis idem est, quod substantia: an sit, ignoro. Id scio, me modo nullam substantiam nosse posse existentem, nisi in me agat; adeoque nisi vel ipsa sit vis, vel vi praedita. Videtur tamen omnino, omnem substantiam saltem vi praeditam esse.

§. 117. Substantia quatenus existit ut non sustentata in alia, ut sui juris, ac suum proprium, dicitur *subsistere*. Substantia ita existens generatim *suppositum*, speciatim, si sit substantia rationalis, *persona* dicitur. E. g. Lapis, canis, etc. supposita sunt; homo, angelus personae. *Subsistentia* est abstractum et *subsistere*, ὑπόστασις Graecis, *suppositalitas* Scholasticis, et speciatim in ratione praeditis *personalitas*.

Cum id, quod sui juris est, etiam sit suarum actionum principium, si, quatenus est sui juris, agat; *subsistentiam* quidam dixerunt illam determinationem substantiae, qua ipsa est proprium et integrum actionum principium. Unde est illud: *actiones sunt suppositorum*.

SECTION IV.

COMPOSITUM ET SIMPLEX.

§. 118.

Totum est unum cum multis simul sumtis idem, et illa multa sunt *partes*. E. g. Imperialis est totum, 54. albi sunt partes.

§. 119. Partes illae, quae simul sumtae essentialiam constituunt, dicuntur *essentiales*. E. g. Corpus et anima sunt partes essentialia hominis. Pars *integralis* est, quae cum aliis totum complet; e. g. digitus est pars integralis corporis humani. Iterum: pars alia *aliquanta*, alia *aliquota* dicitur. Prior, est, quae aliquoties sumta vel excedit totum, vel ad ipsum non accedit. Posterior, quae aliquoties sumta totum accedit, vel saltem accedere potest. E. g. 5 relate ad totum 8, et 4 relate ad idem totum 8.

§. 120. Totum, quod tale etiam nemine cogitante est, dicitur totum *reale*; totum, quod tantum cogitatur totum, est *ideale*. Ad hoc perinde est sive partes etiam tantum in intellectu repraesententur, sive actu extra intellectum existant. Ad totum ideale referendum totum *metaphysicum*, h. e. essentialia; totum *logicum*, quod est quaelibet nota communis pluribus, e. g. genus, species, principia veritatum, et iis superstructa systemata; totum *morale*, e. g. civitas, familia etc. Ad totum reale revocari potest totum *physicum*, e. g. corpus, causae, effectus etc.

§. 121. Totum *absolutum* est totum, quod nequit cogitari tanquam pars alterius. E. g. Hoc universum, quod mundum dicimus. *Relativum* est totum, quod est pars alterius, sed jam ut pars non consideratur, e. g. globus terraqueus.

§. 122. *Compositum* est totum, in quo varia repræsentari possunt; est vel *ideale*, vel *reale*, prout illa varia vel tantum ratione, sive nostro concipiendi modo, vel reipsa varia seu diversa sunt. Si compositum reale sit adgregatum substantiarum, est compositum strictissime sumtum. Quod compositum non est, *simplex* est.

§. 123. Ut compositum aliquod possibile sit, debent varia ista simul sumi, ac conjungi posse, ut totum constituent; si enim varia nulla ratione conjungi possint, jam simpliciter impossibile est, ut iis exurgat compositum, dum scilicet unum contradicit absolute alteri; adeoque ex iis tantum fieri potest compositum, quæ aliqua ratione conjungi possunt; hinc possibilitas interna compositi in modo ac ratione conjunctionis variorum sita est; ergo etiam essentia (41.); ubi igitur possunt varia aliqua ratione conjungi, ibi possibile est ex iis compositum; et ubi varia nulla possunt ratione conjungi, ibi etiam ex iis impossibile est compositum.

§. 124. Conjunctio variorum compositorum necessaria est; sed varijs, sive partibus, eadem contingens est. Primum certum est ex §. præc.; alterum inde, quia varia illa, quæ partes sunt, possunt cogitari ut non conjuncta, si enim hoc fieri non posset, jam varium unum non posset cogitari sine altero, quod repugnat notioni variorum, et sequelis inde necessario fluentibus;

nam

nam varia sunt, quorum unum non est aliud, illorum unum sine altero potest repraesentari; adeoque etiam possunt varia ut non conjuncta repraesentari; hinc absentia conjunctionis est possibilis; ipsa igitur conjunctio est contingens. Idem tenet, si partes concipiantur homogeneae ex notione pluralitatis (56).

§. 125. Omne compositum ultimato in simplicia resolvitur: omnis enim nexus tolli potest, cum partibus contingens sit (ex §. praec.) ponatur igitur tolli, jam vel remanet aliquid, vel nihil: si nihil: jam compositum non erat; nisi mera congeries nexuum sine nexis, quod est impossibile; ergo remanet aliquid; atqui illa, quae remanent, debent esse simplicia: est enim ex supposito omnis nexus sublatus; adeoque nihil adest compositionis; unde neque compositum; ergo, quae remanent, simplicia sunt.

§. 126. Si compositum consurgat ex substantiis, haec simplices sunt. Nam in composito non sunt nisi partes et nexus; nexibus autem sublatis remanent partes; haec ex supposito substantiae sunt, et ex §. praec. simplices.

§. 127. Omnis substantia ens simplex est. Nam si ponas compositam, ponis partes connexas; partes istae simplices sunt, et illae solae substantiae; nexus enim substantia non est. Unde omne compositum substantiale est aggregatum ex meris substantiis simplicibus.

Si vis primitiva (108.) idem est, quod est substantia, omnis vis primitiva simplex est, et tot sunt in compositio substantiali vires primitivae, quot substantiae.

§. 128. Compositum substantiale oriri potest, quin partes fiant e nihilo, et interire, quin partes abeant in nihilum. Nam compositum sunt partes certa ratione conjunctae; ut autem partes certa ratione jungantur, non est necesse, ut ipsa oriantur e nihilo. An, ut extruatur domus, necesse est, lapides ex nihilo fieri? Deinde interit compositum, si partes solvantur; hae autem possunt solvi, quin idcirco abeant in nihilum, sicuti, dum destruitur domus, non ideo lapides in nihilum abeunt.

§. 129. Si substantia simplex oritur, oritur ex nihilo; et, si interit, abit in nihilum. Nam si substantia simplex posset oriri, quin fieret ex nihilo, jam illius aliquid ante extitisset; hoc autem ipso non esset simplex. Et, si interire posset, quin abiret in nihilum, jam post interitum ipsius aliquid remaneret; adeoque iterum non fuisset simplex.

§. 130. Compositum substantiale est in existendo contingens. Nam substantiis, ex quibus consurgit, nexus contingens est (124); hinc tolli potest, adeoque oppositum compositi substantialis non implicat. Unde sequitur, ens in existendo necessarium non posse esse adgregatum substantiarum, sed ipsum esse necessario simplex. Non tamen omnis substantia simplex est in existendo necessaria.

§. 131. Quantitas compositi a multitudine variorum componentium, et nexuum quantitate (22) repetenda est; hinc si sit compositum substantiale, a multitudine substantiarum, et nexuum inter easdem. Simplex, quatenus simplex; quantitatem non habet, cum quantitas sit multitudine

tudo (57), quae in simplici, quatenus simplex est, non relucet. Sed tamen, cum simplex nullum sit, in quo non possint variae determinationes repraesentari; omne simplex eatenus est compositum, et quantitatem habet.

SECTION V.

EXTENSUM, INEXTENSUM.

§. 132.

Plura post se posita ita, ut uno cessante existere incipiat aliud, *successiva* sunt. Totum ex iis repraesentatum, *totum successivum* adpellatur. E. g. Annus, vita hominis etc. Plura existentia, quae successiva non sunt; *simultanea* sunt, et totum ex iis *totum simultaneum*, etiam *permanens*. E. g. Substantiae, ex quibus corpora consurgunt, et totum simultaneum corpus.

§. 133. *Distare* dicuntur duo, aut plura extrema, inter quae duci potest linea.

§. 134. *Distantia* simultaneorum est *spatium*; adeoque spatium oritur positione simultaneorum extra se tali, ut inter ipsa possit duci linea; et, cum nihil poni possit, nisi ante ponatur substantia, erit spatium distantia substantiarum simultaneorum; hinc non existentibus substantiis aut iis non distantibus non habetur spatium. Certe ubi distantia non advertitur, nec advertitur spatium.

§. 135. *Successio* rerum, aut variationum est *tempus*; proinde ubi nulla successio, nullum est tempus, et siquidem ego ad successionem non attendam, mihi non est tempus.

De tempore, et spatio imaginariis, item de vacuo coram.

§. 156. *Extensum* est totum, in quo inest spatium, sive, cujus partes invicem distant. Hinc simplex est *inextensum*; omne autem compositum ex substantiis ab invicem distantibus est extensum, et omne extensum substantiale est compositum.

Si velis cogitare spatium inter successionem A, et successionem Z, habes etiam extensum tempus. De extensione virtuali, quae cogitari nequit, item de diversitate inter replere spatium, et esse intra spatium, quantum expedit, in praelectionibus.

§. 137. Distantia, quae cogitatur inter simultanea, aut inter successiones, repraesentari potest linea, et sic repraesentata constituit id, quod dicimus *continuum*. Si concipere posses substantias intra distantiam duarum extremarum ita dispositas, ut una ab altera, et ex utraque parte una ab extrema non distaret, haberes extensum continuum substantiale, et illae substantiae se contingere, sibi esse *contiguae* dicerentur. Ubi autem intra intersertas substantias distantiae sunt, habetur extensum *interruptum*.

§. 138. Ex substantiis extensum continuum fieri nequit. Cum enim ipsae simplices sint (127.), existere non possunt, nisi in puncto simplici; in eodem puncto, in quo concipis existere primam, deberet et altera eandem contingens,
et

et tertia, et quarta etc. existere: nam prima, et secunda deberent existere in puncto sui contactus: ceteroquin se non contingerent, sed distarent; hoc autem est idem punctum, in quo existit e. g. substantia a: si enim non est idem, jam aliquid illius a est in puncto contactus, et aliquid extra hoc punctum; hoc autem repugnat simplicitati. Idem valet de substantia b, c, d, etc.

Demonstratur eadem haec propositio invicte argumentis ex geometria petitis, e. g. quod linea basi parallela in triangulo isoscelico posset constare punctis pluribus, et sic longior esse, quam basis. Item quod circulus minimus quisque deberet constare tot punctis, quot maximus etc. Quae cum absurda sint, recte concludunt Mathematici, lineam ex puuctis tanquam partibus constare non posse. Cum jam tale continuum nequidem in imaginariis locum habere possit, quomodo poterit esse quoddam substantiale existens?

§. 139. Omne extensum substantiale est extensum interruptum: neque enim est continuum; adeoque singulae extensi substantialis partes ab invicem distant. Unde, quae concipiuntur extensa continua, e. g. spatium et tempus, substantialia non sunt.

§. 140. Quantitas extensionis desumitur a longitudine et multitudine distantiarum, quae sunt inter extrema ejusdem totius quaqua versus posita.

S E C T I O VI.

F I N I T U M , I N F I N I T U M .

§. 141.

Quod litem (36) habet, *finitum*; quod litem non habet, *infinitum* dicimus. Finitum, cujus litem determinare non possumus, vel nolumus, est *indefinitum*, infinitum imaginarium, mathematice infinitum.

§. 142. Limes ex essentia entis cognoscendus est *essentialis*, necessarius malum metaphysicum; ex essentia non cognoscendus, est *extraessentialis*, contingens. Intellectus humanus habet litem essentialem, et meus praeterea contingentes.

§. 143. Posito limite simul posita est negatio; negationis oppositum est realitas (35); ubi igitur limes est, realitas aliqua non est; et ubi omnis possibilis realitas est, ibi negatio nulla est; adeoque, quod non habet omnem realitatem possibilem, finitum est; et quod habet omnem realitatem possibilem, est infinitum, ens *realissimum*, quo majus nec esse, nec cogitari potest, infinitum vere tale, metaphysicum.

§. 144. Quod sine fine augeri potest, necessario finitum est. Nam quod sine fine augeri potest, necessario debet posse fieri majus; quod potest fieri majus, infinitum esse nequit; hinc necessario est finitum.

Ex hoc statue

a) de numero.

Cum numerus aliud non sit, quam multitudo diversarum unitatum, rerum e. g. aut actionum; nulla autem unitatum multitudo tanta concipi possit, quae non adjectione unius etiam unitatis augetur, patet, numerum quemvis datum sine fine augeri posse; hinc esse finitum. Adde: ex quavis unitatum diversarum multitudine, sive ex quovis numero unam unitatem subtrahi posse: ceteroquin numerare dato numero esset impossibile, quod est contradictorium. Unitate una subtracta manetne numerus, ut infinitus adsumtus, infinitus, vel non? Primum esse nequit, cum parte una minor sit, adeoque major fieri possit. Si non manet infinitus, neque adjectione subtractae unitatis numerus infinitus reddi poterit: haec enim ipsa unitas in ratione numeri tum plus foret, quam reliquae unitates omnes, quod iterum cum numeri idea pugnat. Unde et compositum substantiale infinitum implicat.

b) De spatio.

Quoniam spatium est distantia (134); adeoque etiam repraesentari possit instar lineae, cujus extrema sunt substantiae (137), potest ipsum sine fine augeri: possunt enim illae substantiae a se invicem magis et magis removeri, quo ipso distantia, adeoque et spatium augetur. Aut si putas augeri non posse, poterit certe linea repraesentans distantiam imminui accessione utut modice sub-

substantiarum ad se invicem; spatium igitur post accessionem jam infinitum non erit, quoniam minus redditum est; ergo ante infinitum erat per illud modicum linea itaque exigua erit infinita, major finita, quod implicat. Et haec de extensione versus unam plagam infinita. Si de extensione versus omnes plagas infinita quaeratur, haec praeterea propter implicantiam numeri infiniti implicat. Hinc Cartesius nihil cogitavit extensum infinitum.

c) De tempore.

Ad tempus et ea, quae de spatio, et quae de numero dicta, sunt, applicari possunt, unde et infinitum tempus triplicat.

§. 145. Infinitum est interne absolute immutabile. Nam si tale non esset, jam posset accipere determinationes internas alias, atque habet (96), saltem unam aliam; haec autem determinatio vel realitas esset, vel negatio (35). Si primum; jam infinitum posset realitatem accipere, quam non habuit, quod pugnat cum infinito. Si alterum; jam in infinito posset esse defectus (35), quod iterum pugnat; adeoque quod est infinitum, est interne absolute immutabile, et v. v. si enim interne absolute immutabile non esset infinitum, jam posset fieri majus, adeoque mutari. Ulterius: cum id, quod est immutabile, sit etiam necessarium (97), ens infinitum est ens necessarium.

§. 146. Quidquid finitum est, est contingens: potest enim fieri majus, adeoque est mutabile; quidquid autem mutabile est, est contingens (97); adeoque et quidquid finitum est, est contingens;

et

et v. v. Nam contingens est, cujus oppositum non implicat; adeoque ipsum potest esse aliter, atque est; quod potest esse aliter, atque est, huic novae determinationes possunt accedere, vel realitates, vel negationes; in utroque casu est finitum (145); adeoque etiam omne contingens est finitum. Sequitur ex his, ens necessarium esse infinitum: nam vel finitum est, vel infinitum; non finitum, quia alias esset contingens; ergo infinitum, ac proinde, quae de necessario et contingente hucusque dicta sunt, eadem infinito et finito applicanda sunt.

§. 147. Substantia infinita est substantia habens omnes realitates sive perfectiones possibles, substantia *perfectissima* ita, ut nulla absoluta, pura vera perfectio possibilis sit, quae huic substantiae essentialis non sit.

§. 148. Substantia infinita est possibilis (137); hinc et actualis. Si enim actualis non esset, jam esset impossibilis; esset enim independens, et dependens simul: primum; quia perfectissima: alterum: quia existere non posset nisi dependenter ab alia: nam existentiae ratio tum ipsi inesse non posset, quia, ut inesset, deberet esse in ipsius possibilitate, cum ante existentiam nihil aliud in ente insit; in possibilitate autem non inesset, quia eadem posita, non ponitur, existentia ergo nequidem possibilis esset, nisi ut dependens. Confer etiam §. 8. Hinc non cepit esse:

§. 149. Substantia infinita habet vim infinitam, ceteroquin ipsa non esset substantia infinite perfecta; vis autem infinita est simul facultatum infinitarum; ergo omnis facultas, quae in ente infinito concipitur, est infinita.

§. 150. Vis infinita omnibus possibilibus extra se producendis, et productis de-truendis debet sufficere: alias infinita non est. Substantiam possibilem facere actualem, sive talem producere, est *creare*, et actualem facere non actualem, est *annihilare*. Igitur substantia infinita potest creare, et creata etiam annihilare.

§. 151. Substantia infinita est tantum unica possibilis. Pone e. g. duas esse possibles: vel una poterit impedire actionem alterius, vel non; si primum: una non habet vim infinitam: vis enim infinita non est, cujus actio impediri potest. Si alterum: poterit una contradictorium illius agere, quod agit altera; poterunt igitur contradictoria simul esse. Aut si in tali casu nil putas consecuturum actione una elidente alteram, jam neutra harum substantiarum est, in agendo independens, quia neutra agere potest, nisi sub hypothesis, quod una non agat contrarium; ergo neutra esset substantia infinita. Idem est, si utraque necessario idem agere conciperetur: scilicet, tunc utraque necessario in agendo dependeret, essetque dependentia mutua necessaria.

§. 152. Substantia infinita non est infinite extensa, neque in eadem sunt successiones; neque est composita ex partibus substantialibus. Non primum, quia extensum infinitum implicat (144. l. b.). Non alterum, quia tempus infinitum actuale implicat (eod. l. d.), et praeterea, quia substantia infinita est immutabilis (145). Non tertium, quia numerus infinitus actualis implicat (144. l. a.). Quod autem compositum non est, simplex est; adeoque substantia infinita simplex est.

§. 153. Substantia finita est, cujus vis et perfectiones finitae sunt.

§. 154. Substantia finita nec creare, nec annihilare potest. Non primum, quia alias vis finita foret infinita: nam omnibus substantiis finitis possibilibus producendis sufficeret: absolute enimabilia aequaliterabilia sunt (32.); hinc ex parteabilium nihil est, quominus vis sufficiens ad unumabile sufficiat ad omnia in eodem genereabilia producenda. Certe in creatione resistentia nulla vincenda, cumabilia non resistent; adeoque nec ratione numeri superanda aliqua difficultas. Neque etiam ex parte vis concipi aliquid potest, quominus ipsa sit sufficiens ad omnia, dum ponitur sufficiens ad creandum unum, aut aliqua: reipsa enim ponitur simpliciter sufficiens, quae sufficientia numero per se restringi nequit. Vis igitur creandi vis infinita est, nec substantiae finitae convenire potest. Unde consequitur, substantias finitas omnes, quae existunt, existentiae suae rationem habere in substantia infinita. Deinde substantia finita non potest annihilare: ut enim hoc posset, deberet existentiam substantiae posse tollere; ad hoc autem ipsa non sufficit: nam cum ratio existentiae illius sit in substantia infinita, substantia finita efficere non poterit, ut illa ratio non sit; adeoque neque efficere poterit, ut non sit illius rationis rationatum. Potentia igitur creandi et annihilandi tanquam character proprius vis infinitae recte adsumitur: vires autem finitae omnes ultra modos quosdam, et relationes activitatis sphaeram extendere nequeunt.

~~~~~  
 CAPUT III.

PRAEDICATA RELATIVA ENTIS.

~~~~~  
 S E C T I O I.

I D E M E T D I V E R S U M E T C.

§. 155.

Quae eadem (59), similia, aequalia, congrua (44) sunt cum quodam tertio, eatenus etiam eadem sunt inter se, quatenus eadem etc. cum tertio sunt. Idem enim sibi met ipsi potest substitui; ergo etiam illa tertio, quocum eadem sunt; ergo et inter se invicem unum alteri: si enim hoc fieri non posset, etiam singula tertio substituti non possent: ergo nec eadem essent cum tertio. Sit e. g. $a=3+3$, $b=4+2$, $c=6$. a poterit substitui ipsi c, et eidem potest etiam substitui b; ergo a et b etiam sibi invicem substituti possunt; sunt igitur inter se eadem etc.

§. 156. Quae diversa, dissimilia, inaequalia, incongrua sunt in aliquo tertio, sunt et talia inter se. Cum enim illa dicantur in tertio diversa, quorum unum idem est cum tertio, et alterum non; poterit unum tertio substitui, non autem alterum: si vero non essent diversa inter se, jam unum aequè, ac aliud tertio substitui
 pos-

posset; ergo unum ex iis cum tertio, esset idem, et simul non esset.

Distingui debent hae propositiones: duo diversa sunt in tertio, et duo diversa sunt a tertio: quae enim a tertio diversa sunt, eorum nullum est idem cum tertio. Sic $4+5$, et $2+7$ differunt ab eodem tertio 8, non tamen ideo inter se.

§. 157. Plura, quae determinationes habent eandem (quod ipsum est illud a Scholasticis dictum: convenire in tertio), habent etiam eadem harum determinationum necessaria consectaria. Nam istae determinationes tunc rationes sunt, et consectaria earundem rationata (25). Sic quibus commune est praedicatum contingens, iisdem singulis communia sunt omnia praedicata cum hoc praedicato contingens connexa.

§. 158. Quae habent determinationes diversas, habent etiam diversa illa, quae tantum ex illis determinationibus consequi possunt: ubi enim rationes desunt, nec rationata esse possunt (25). Sic in necessario esse nequeunt, quae tantum ex contingente sequuntur; sed diversa ab iis, scilicet illa, quae ex necessario sequuntur.

§. 159. Quae omnes determinationes habent eandem, dicuntur *totaliter*, adaequate eadem; quae aliquas eandem, aliquas diversas, *partialiter*, inadaequate eadem. Unde facile cognoscitur, quid identitas interna sit, quid externa; item: quid similitudo, aequalitas, congruentia, adaequata, inadaequata. Quod videtur retinere eandem determinationes, reipsa tamen alias et alias nobis non advertentibus acquirit, dicitur *idem moraliter*. E. g. Corpus animalis, planta etc.

De distinctione reali, et rationis, sive formali
coram.

§. 160. Si ponantur duae substantiae actuales, illarum una nequit simul esse alia; ceteroquin eadem substantia bis poneretur; et hinc necessario una est haec, et altera non est haec, sed alia substantia; ergo debet dari ratio aliqua, quare una sit haec, et altera non sit haec substantia, sive debet inter illas substantias esse aliqua diversitas.

§. 161. Spatium, tempus, numerus nequeunt esse ratio, cur haec substantia sit haec, et non alia. Ista enim omnia relativa sunt, et substantiis externa; substantiam autem esse hanc suam propriam substantiam, vel maxime ad interna pertinet: eo enim ipso, quo existit, est haec substantia, et non alia; spatium vero, tempus et numerus ante substantias existentes nequeunt actualia intelligi.

§. 162. Ratio, quare inter plures substantias una non sit alia, est ipsis substantiis interna. Nam, cum inter plures substantias una non sit alia eo ipso, quo existunt, illa ratio nequit esse aliqua relatio: relationes enim ad existentiam entis in se spectatam non pertinent; ergo cum tamen aliqua ratio sit, haec alia esse nequit, quam interna.

§. 163. Discrimen plurium substantiarum existentium est in earundem qualitibus. Nam, cum hoc discrimen internum sit, erit vel in qualitate, vel in quantitate; in simplice nec quantitas extensionis (140), nec compositionis substantialis (131) locum habet; ergo discrimen illud est vel diversa aliqua qualitas, vel qualitatum
di-

diversa quantitas, sive gradus; est autem in utroque casu in qualitatibus discrimen.

§. 164. Nequeunt existere duae substantiae interne adaequate similes. Nam illae substantiae differrent in aliqua qualitate (160 et 163), et simul non differrent in aliqua qualitate, quia essent adaequate similes.

Unde igitur ortae notiones similitudinis et dissimilitudinis? R. Ex compositorum substantiarum in nos actionibus, e quibus tales in nostris organis commotiones consecutae sunt, inter quas nullum discrimen advertimus, et in quantum non advertimus, talia composita similia diximus; dissimilia vero, si inter commotiones excitatas discrimen deprehendimus. Actiones, inter quas nullum discrimen deprehendimus, occasio fuerunt excogitandi praedicata communia, quae a singulis agentibus abstracta, et invicem collata denique objecta conceptuum facta sunt quos species et genera dicimus.

Verum an similitudo actionum non supponit similitudinem substantiarum? R. Quatenus substantiae similia agunt, eatenus habent vires similes, vel sunt, et eatenus etiam ipsae substantiae similes dici possunt, hoc est: substantia a potest aliquid idem, quod potest b; inde autem adaequata interna substantiarum similitudo deduci nequit; e. g. eandem rotunditatem, quam arcularius a ligno induxit, potuisset etiam arcularius b eidem inducere. Item: eadem disiectio muri, quae vi aquarum facta est, potuisset ab hominibus, aut aliis agentibus peragi.

Videtur tamen concipi non posse, ne quidem substantiam infinitam posse producere duas substantias finitas interne adaequate similes? R. Dum duas ponis substantias, necessario ponis duas substantias dissimiles: ponis enim et debes ponere unam a, et alteram b: nam una est haec, et altera non est haec ob rationes internas (162); ergo in a est aliquid; quod non est in b, et v. v.; nam nequit esse, ut eadem, aut, si ita velis, similis ratio sit ratio oppositorum, sive ratio ipsius a, et ipsius non a; ergo reipsa, dum duae ponuntur substantiae, ponuntur dissimiles substantiae; ergo ipsae adaequate similes esse nequeunt; adeoque secundum idem exemplar, secundum eandem ideam duae substantiae ita concipi nequeunt, ut in earum una ea omnia adcurate insint, quae sunt in altera. Paucis: quaerere, an duae substantiae adaequate similes possibiles sint, est quaerere, an duo dissimilia adcurate similia esse possint.

S E C T I O I I .

SIMULTANEA ET SUCCESSIVA.

§. 165.

Tam simultanea extra se invicem existentia, quam successiva ex illa conjunctione determinatum nanciscuntur respectum, qui *positus* dicitur (65). Positus simultanei extra alia existentis, est
ejus

ejus locns. Locus ad physice distantia relatus dicitur *situs*. Positus successivi est *aetas*. Hinc locus aliud non est, nisi certa relatio, aut relationum complexus, quae inde ortae sunt, quia plura simultanea, extra se invicem existunt; et aetas est determinata relatio, aut relationum ex succeſsione ortarum complexus. Unius tantum substantiae existentis nullus est locus, sed tamen aetatem habere potest.

§. 166. Plures substantiae extra se invicem existentes, et compositum substantiale (126) constituentes, sunt in diversis locis. Nam ratio loci cujusque singularis substantiae est in aliis substantiis coexistentibus; hinc semper diversa; ergo et rationatum sive locus.

§. 167. Ex existentia simultanea plurium compositorum substantialium extra se invicem positorum oriuntur relationes, quae exprimi a nobis solent per *dextrum esse*, et *sinistrum*, per *supra*, et *infra* etc. quae relationes in simplicibus locum non habent, in quibus tantum valent primum, secundum etc.

§. 168. Cum spatium sit distantia inter duas substantias coexistentes, poterit inter ipsas tertia reponi. Sed hoc facto spatium majus in duo spatia minora divisum est, quae sunt partes spatii majoris. Interserta substantia eò ipso, dum interserebatur, locum nanciscebatur, et duae aliae mutabant locum veterem, novumque accipiebant. Cum jam illae relationes, vi quarum una dicitur prima, altera secunda, subsequens tertia, aut primo, secundo, tertio loco existere, non sint partes spatii majoris, nec locus apte dici poterit pars spatii. Id certum: uti linea ma-

ior ex lineolis minoribus, nullatenus vero ex punctis, constituitur; ita et spatium majus ex spatiis minoribus, saltem, ut dicimus, potentialibus, non vero ex punctis localibus, consurgit.

§. 169. Si qua substantia ex una spatii parte transeat in aliam, dicitur *moveri*; hinc *motus* est transitus substantiae ex una spatii parte in alteram. Si jam *transire* dicere velis, continue in una spatii parte desinere, et in altera incipere existere, huic notioni, et notionem motus adcommodare poteris. Absentia, motus, *quies* est.

§. 170. Dum substantia movetur, mutat locum; fit enim vel proximior aliis, vel remotior; hinc novam habet relationem ex coexistentia. Sed potest mutari locus substantiarum, licet non moveantur singulae (168).

§. 171. An coexistentia duarum substantiarum in eodem puncto sit impossibilis, nec ante, nec circa alias substantias determinari poterit, quam dum probatum fuerit vel ad omnium, vel ad aliquarum substantiarum essentiam pertinere impenetrabilitatem.

§. 172. Existentiam substantiae ejusdem finitae in diversis spatiis eodem tempore, sive *replikationem* absolute implicare, hucusque ostensum nondum est, sed nec potest ostendi, cum talis implicancia non adsit. Nam substantia ita existens non acquirit idcirco praedicata interna contradictoria: manet enim ipsa una eademque, sibi adaequate similis, neque ulla interna ratione fit alia a se; cum spatium et tempus externa substantiis sint. Deinde nec accipit relationes contradictorias: nam nunquam poterit dici: illa substantia habet hanc relationem, et

simul eandem non habet; sed habet hanc, et simul istam; sive: existit hic, et etiam ibi; hic autem, et ibi existere simul non sunt praedicata contradictoria, sed disparata.

§. 173. Cum existentia substantiae infinitae sit rationatum essentiae infinitae (148), etiam existentia infinita est; nequit igitur ullibi substantia finita existere, ubi non existat infinita. Sed tamen infinita ita existere nequit, ut spatio circumscribatur, nec ita, ut ipsa alicujus spatii extremum sit, aut extrema plura ita, ut intra ipsam spatium sit (136). Verum de ratione existendi substantiae infinitae multa explicare ne prasumat intellectus finitus: scimus, quod existat, novit illa sola, quomodo.

§. 174. Successio rerum, aut variationum rei est tempus (135). Aliud dicitur *praesens*, aliud *praeteritum*, aliud *futurum*. Tempus praesens est illa successio, quae actu est; praeteritum, quae fuit; futurum, quae erit. Tempus praesens non debet cogitari instar puncti: ceteroquin ipsum tempus non est, nec pars temporis: ubi enim successio nulla, ibi nec tempus; successio autem, etiam minima, nequit per punctum representari. Successio, in qua plures discernere successiones non possumus, *instans*, momentum dicimus.

§. 175. Tempus habet quantitatem ex multitudine successionum. Sed modo uno metimur aliud: sic adsumtus est motus adparens solis sibi prae reliquis maxime constans, et uniformis; cujus ipsius tempus metitur motus indicis in horologio. Successiones cogitationum nostrarum possent etiam esse mensura alterius alicujus tem-

poris, sed illius applicatio in multis circumstantiis admodum esset difficilis et fallax; nempe vita misero longa, felici brevis foret.

§. 176. *Duratio* est existentiae continuatio. *Durabile* est, quod existentiam continuare potest. *Duratio* utrimque interminata, seu infinita, *aeternitas* est, et ens ita durans *aeternum*. *Duratio* sine fine tantum est *aeviternitas*, et ens ita durans *aeviternum*. *Duratio* omni tempore simultanea *sempiternitas*, et ens ita durans *sempiternum* est. *Aeternum* et *sempiternum* est, sed non vice versa.

§. 177. *Duratio* in se spectata non involvit tempus: nam potest substantia existere, et existentiam continuare, licet nec in ipsa, nec extra ipsam sint ullae successiones, cum hae substantiae in se spectatae contingentes sint, ac tantum relationes variorum, quorum nempe unum ponitur post alterum.

§. 178. Substantiae finitae *duratio* nequit esse aeterna: debuit enim substantia finita actione alterius fieri existens, ergo effici; substantia autem ab alio facta eo ipso ex non existente facta est existens; hoc autem ipsum est initium existendi sumere, seu incipere; ab aeterno incipere, initium sumere est aeternitas cum initio, contradictio in terminis.

§. 179. Substantia finita durans durationis suae rationem habet in alio: si enim haberet in se illam rationem; ergo vel in essentialibus, vel in attributis, vel in existentia ipsa, sive pergeret existere, quia existit, vel denique in vi propria; ita, ut continenter existentiam suam operaretur. Non primum, nec secundum est; cetero-

roquin impossibile foret, substantiam in existendo contingentem aliquando non existere. Neque etiam tertium est: nam, licet verissimum sit, substantiam existere, quando existit, nulla tamen adparet ratio in existentia in hoc momento pro existentia in momento subsequente, aut si ponas esse rationem, jam substantia in existendo contingens momenti subsequentibus necessario existeret, quia momentum quodvis antecedens esset ratio sufficiens existentiae pro momento subsequente; posita autem ratione necessario ponitur rationatum; ergo impossibile est, illam substantiam pro momento subsequente non existere, quod pugnat cum notione contingentis, qualis manet existentia substantiae finitae etiam in momenti subsequentibus. Nec denique quarum est: nam haec vis, sive sit substantia ipsa, sive aliquid in substantia, momento primo deberet operari existentiam suam pro momento secundo; sed haec existentia deberet, existere existente actione, qua operatur, quia alias nihil ageretur; ergo existentia pro momento secundo esset existentia in momento primo; ergo nulla ratio esset existentiae continuatae.

§. 180. Substantia finita durans durationis suae rationem non habet in alia substantia finita: nequit enim substantia finita vi alterius finitae creari (154); ergo ipsam existentem facere non potest; ergo existentia cujuslibet substantiae finitae est independens ab altera finita, sive: quaelibet substantia finita sine altera finita existere potest; ergo etiam durare.

§. 181. Substantia infinita habet rationem durationis suae in se, et necessario aeternum
du-

rat. Nam, cum ipsa sit substantia in existendo necessaria, ipsa non potest non existere; ergo etiam non potest non durare; et cum ratio existentiae illius sit in possibilitate (87), possibilitas autem aeterna sit (29); etiam existentia aeterna est.

§. 182. Substantiae finitae durante durationis suae rationem habent in substantia infinita: non enim habent in se, nec una in alia; ergo cum tamen durationis ratio aliqua esse debeat, ea est in substantia infinita. Unde et substantia una finita existentiam alterius tollere non potest, nec suam propriam (confer etiam §. 180).

SECTIO III.

PRINCIPIUM ET CAUSA.

A) Generatim.

§. 183.

*P*rinzipium est id, quod continet rationem alterius, et id, quod a principio dependet, *principatum* est. Principium *possibilitatis* est, quod continet rationem, cur aliquid possibile sit; *existentiae*, quod continet rationem, cur aliquid existat; *cognoscibilitatis*, quod continet rationem, cur aliquid cognoscatur.

§. 184. Principium, quod est in illo ipso ente, cujus determinationis alicujus rationem continet, est *internum*. Principium, quod non est
pars

pars aliqua illius, cujus rationem continet, *externum* est. Anima hominis est principium internum actionum humanarum. Deus est principium externum mundi.

§. 185. Principium existentiae alterius est *causa*, principiatum causae est *causatum*. Quod existere nequit, nisi ut causatum alterius extra se positi, est *ens ab alio*; quod autem existere potest, licet non sit causatum alterius extra se positi, est *ens a se*.

§. 187. Plures causae unius ejusdemque causati sunt *concausae*, et ad causatum *concurrere* dicuntur. Causa, quae concausam non habet, est *solitaria*. Inter concausas illa, quae prae reliquis maximam rationem causati habet, est *principalis*, primaria, et reliquae sunt *secundariae*. Concausae omnes se inter connexae sunt.

§. 188. Si inter concausas una sit causa alterius, tunc sunt *subordinatae*; si id non sit, sunt *coordinatae*. Inter subordinatas illa, ad quam ultimo reliquae referuntur, *causa prima*, reliquae *secundae* sunt. A qua nulla mediante causatum est, *proxima*, quae alia mediante causa est, *remota* dicitur.

§. 189. Subordinatae causae vel *essentialiter*, vel *accidentaliter* sibi subordinatae sunt. Erit primum, si causa proxima quoad actionem suam, sive in ratione causae a remotiore dependeat; si vero in ratione causae ab altera non dependeat, sed e. g. tantum in existentia, tum sunt accidentaliter subordinatae. In serie causarum essentialiter subordinatarum actio proximae dependet ab actione remotioris; adeoque et causatum proximae ab actione remotioris; et hinc *causa*

sa causae est etiam causa causati. Contrarium est in accidentaliter subordinatis. Sic faber, qui gladium cudit, inde non est causa homicidii eodem perpetrati.

§. 190. Omnis causa est etiam ratio; hinc, quae de ratione a §. 15. ad 23. dicta sunt, etiam de causis et principiis valent.

B) Speciatim

a) causa efficiens.

§. 191. *Causa efficiens* est, quae actione sua continet rationem existentiae alterius: causatum ipsius *effectus* est. Nexus causalis inter effectum et causam *effectivus* est.

§. 192. Causa efficiens alteri efficienti coordinata dicitur ejus *socia*. E. g. Viri duo simul portantes, onus, sunt invicem causae sociae relate ad hunc effectum. Si causae sociae seorsim consideratae ad effectum producendum insufficientes sint, simul tamen agentes sufficient, una relate ad alteram *auxiliaris* est. Unde *auxilium* dici potest complementum virium causarum efficientium ad effectum producendum, sine quo complemento ipsae insufficientes essent.

§. 193. Causa minus principalis efficiens alteri efficienti ita subordinata, ut ab eadem ad effectum producendum determinetur, est *instrumentalis*. E. g. Calamus scribenti. Si ipsa viva sit, causa *adminstra*, ministerialis, instrumentum vivum dicitur. E. g. Famulus mandata domini exequens.

§. 194. Causa efficiens si talis sit, ut pro arbitrio potuerit actionem omittere, *libera* dicitur. Si vero adplicata, et non impedita non potuit non agere, *necessaria* est. Homo in multis actionibus suis est causa libera; ignis adplicatus materiae combustibili incendii causa necessaria.

§. 195. Actio singularis, et determinata cum suo effectu simul sumta *eventus* est. Relationes *eventus circumstantiae* sunt. E. g. Locus, tempus etc. Complexus circumstantiarum est *occasio*, et quatenus *eventus* aliquis rationem actualitatis suae in occasione habet, ipsa dicitur *causa occasionalis*, sed ipsa non est causa efficiens.

§. 196. Nequit aliquid esse causa efficiens sui ipsius, neque duo sibi mutuo. Non primum, quia actione sua se deberet facere existentem, adeoque agere, ante, quam existeret, quod est impossibile. Non alterum, quia alias idem eodem altero deberet esse prius et posterius simul, quod iterum est impossibile.

§. 197. Substantia finita existens habet causam efficientem; et quidem substantiam infinitam. Nam, cum ipsa actione alterius debuerit fieri existens; habet ipsa primo causam efficientem (191); non autem potuerit actione substantiae finitae fieri existens, consequitur, actione substantiae infinitae ipsam factam esse existentem. Hinc substantia finita existens, est *ens ab alio* (185).

§. 198. Substantia infinita non habet causam efficientem. Vel enim ipsa sui ipsius esset causa efficiens, vel alia quaedam substantia: non primum ex §. 197. Non alterum, quia ipsa est *independens* in existendo ab omni alia substan-

tia. Adde et aeternitatem. Unde substantia infinita est *ens a se* (185).

§. 199. Nequit aliquid esse in effectu, quatenus effectus est, cujus ratio non sit in causa. Nam effectus, quatenus effectus est, est rationatum causae; si igitur aliud quid esset in effectu sic considerato, illud esset sine ratione sufficiente. Possunt tamen multa esse in illa re, quae effectus est, quae rei, quae causa est, non insunt, et vice versa. Hinc etiam concludere, quantum argumentari liceat a similitudine, aequalitate etc. effectuum, ad similitudinem etc. causarum, et vice versa. Confer etiam §. 164. Dum ab identitate, aut diversitate effectuum concludere vis ad identitatem, aut diversitatem causarum, non omittite circumstantias rite expendere.

An causae efficientes finitae possunt agere *in distans*? Consequitur omnino, si in visibilibus activa sit ratio cohaesionis in corporibus.

b) Causa materialis.

§. 200. *Materia* latius sumpta, id omne est, quod determinationes recipere potest. Strictius sumpta, quaelibet pars apta ad totum compositum cum aliis constituendum, ejus compositi materia est; et strictissime sumpta, sunt illa elementa, ex quibus corpora consurgunt. E. g. Elementa lapidis, marmoris, etc. Unde materia eatenus dicitur causa, quatenus ipsa recipiendo continet rationem existentiae determinationum; aut etiam, recipiendo determinationes cum aliis partibus continet rationem existentiae alicujus compositi.

Quo

Quo sensu verum est illud veterum: ex nihilo nihil fit, et quo sensu falsum?

c) Causa formalis.

§. 201. *Forma* sunt determinationes ipsae, quae faciunt, ut res aliqua ad certam entium classem pertineat. Sic in corporibus partium dispositiones et conjunctiones faciunt hoc corpus pertinere e. g. ad lapides, ad ligna etc. *Forma essentialis* sunt determinationes essentialis rei. *Forma* eatenus dicitur causa, quatenus ens determinat ad certam classem.

d) Causa exemplaris.

§. 202. *Exemplar* est id, quod causae efficienti servit ad alterum simile efficiendum; ipsum eatenus est causa, quatenus continet rationem existentis similis. Causatum relate ad exemplar dicitur *ectypon*, copia, et nexus inter illa est *nexus exemplaris*, sive typicus.

e) Causa movens, et finalis.

§. 203. *Causa movens*, impulsiva, motivum est id omne, quod causam efficientem cognoscentem ad agendum vel omittendum excitat. E. g. Bonum, malum, utile, noxium, ut talia repraesentata, et quia ita repraesentata actionis aut omissionis rationem continentia. Si qua causa libera in alia repraesentationes ejusmodi excitet ad hoc, ut altera aut agat, aut omittat certam actionem, hujus actionis tum prior causa *moralis*

dicitur, et ipsa, quae immediate agit, *physica*.
E. g. Dominus et famulus circa actionem a famulo ex mandato Domini positam.

Dicatur etiam de ratione ultimo *determinante* et *necessitante*. Non tamen omnis ultimo determinans est necessitans.

§. 204. Id, ad quod obtinendum, causa aliqua agit, *finis* est. *Medium* est, quod aut est, aut potest esse ratio finis; ipsum vel *necessarium* est, vel tantum *auxiliare*. *Finis* vel est *proximus*, vel *remotus*; et hic vel *ultimus*, vel non *ultimus*, *intermedius*; vel *subordinatus*, vel *coordinatus*; vel *primarius*, propter quem sola causa ageret, vel *secundarius*, propter quem, si solus esset, causa non ageret. *Finis* omnis, cum contineat rationem actionis, est causa, et *finalis* dicitur. Nexus causalis inter fines et media *finalis* est.

§. 205. Cum medium sit ratio finis, patet illud: media semper sunt proportionata fini. Item: qui vult finem, velle debet et media. Scientia tractans de finibus est *teleologia*.

Spinozae contra causas finales sophisma facile solvitur: finis enim non in eadem consideratione se ipso prior, et posterior est, sed in diversa, scilicet prior ipse est pro statu ideali; hoc est: ab agente primo intenditur; deinde ast posterior pro statu actuali, hoc est, ab agente fit existens.

PARS SECVNDA.
COSMOLOGIA.

PROLEGOMENA.

§. 206.

Cosmologia est scientia de mundo. Dividitur in generalem, et specialem. *Generalis* est scientia praedicatorum mundi generalium, *Cosmologia* metaphysica, transcendentalis. *Specialis* tractat de partibus mundi principalibus. Haec vel tractat de substantiis materialibus, et, quae ex iis consurgunt, corporibus, et ab his dicitur *Somatologia generalis*; vel tractat de substantiis spiritualibus hujus mundi partibus, et adpellatur *Pneumatologia cosmologica*.

§. 207. *Cosmologia*, quatenus complectitur praedicata per experientiam cognita, empyrica, *experimentalis*. Quatenus vero continet praedicata de mundo per rationem cognita, dicitur *rationalis*.

§. 208. *Cosmologia generalis* tractat a) de notione mundi, b) de ortu, c) de nexu, d) de perfectione, e) de natura, naturali et supernaturali, f) de quibusdam naturae legibus.

§. 209.

§. 209. *Cosmologia specialis* dum tractat 1) de corporibus, tractat a) de *genesi corporis*, et vi *substantiarum componentium*; b) de *proprietas generalibus corporum*; c) de *legibus*, secundum quas corpora agunt. — 2) Dum tractat de *substantiis spiritualibus*, tractat a) de *notione spiritus*, et *possibili spirituum discrimine*; b) de *nexu finitorum spirituum inter se*; c) de *nexu arctiore quorundam cum corporibus*.

COSMOLOGIA GENERALIS.

C A P U T I.

NOTIO MUNDI, ET QUAEDAM PROXIMIUS CONNEXA.

§. 210.

U^t notio omni possibil mundo adplicanda formari a nobis possit, quaedam de aliquo mundo debent esse cognita. De hoc mundo aliqua nobis constant; Nempe primo: multa in eodem dantur entia, quae quaedam praedicata habent communia, quaedam diversa; adeoque dantur in hoc mundo entia plura, datur multitudo, numerus, *series*. — Secundo: haec entia deprehenduntur entia esse finita; nos ipsi certe finiti

su.

sumus, et vires nostrae finitae etc. habemus igitur ex his per experientiam cognitis seriem entium finitorum. Cum jam mundum nobis repraesentare debeamus ut aliquod totum (si enim conceperis partes, non mundum sed partem mundi concepisti, quae cum alia aut aliis ad totum mundum pertinet), erit mundus *series una tota entium finitorum, quae non est pars alterius seriei.*

§. 211. Mundus quicumque existens est in existendo contingens. Nam partes cujusque mundi existentis finitae sunt (210); hinc contingentes (146). Si autem partes in existendo contingentes sint, et totum ex illis in existendo contingens esse debet, cum existentia alicujus totius ab existentia partium necessario dependeat.

§. 212. Mundus est mutabilis: omnis enim mundus absolute contingens est; hinc et mutabilis (97). Multa tamen in aliquo mundo possunt esse hypothetice necessaria; adeoque et hoc sensu immutabilia (98). Sic in hoc mundo est hypothetice immutabilis descensus lapidis sibi relictus ex alto.

§. 213. Mundus quicumque est totum finitum: est enim ens contingens; hinc et finitum (146). Deinde si mundus aliquis foret infinitus, ille vel constaret infinitis numero partibus, vel esset infinite extensus, vel per infinitum tempus existeret, aut in his omnibus simul esset infinitus. Non primum, quia numerus actualis infinitus implicat (144); Non alterum, quia extensio infinita implicat (§. eod.); Non tertium, quia tempus actuale infinitum implicat (§. eod.); adeoque nec in omnibus simul. Et licet per totam,

tam, ut dicimus, autē nos positam aeternitatem, sive per infinitum *progressivum* mundus duret, nunquam tamen tempus actuale durationis erit infinitum.

§. 214. Mundus existens non potest esse nisi unicus. Si enim plures mundi existerent, illi simul constituerent unam seriem entium finitorum ex seriebus pluribus; adeoque quilibet ex illis mundis esset pars seriei totius; hinc pars mundi; igitur non totus mundus. Sunt tamen alii praeter existentem possibles: neque enim repugnat alia series aliorum entium finitorum, et haec est alius mundus.

C A P U T II,

O R T U S M U N D I.

§. 215.

Casus est eventus, cujus ratio sufficiens vel non adest, vel, si adest, ignoratur. Si primum, est casus *purus*; si alterum, est non purus.

§. 216. *Progressus in infinitum* hic dicitur series infinita causarum contingentium sibi subordinatarum (188) absque causa prima. Est vel *curvilineus*, vel *rectilineus*. Curvilineus est, in quo causatum est etiam causa sui. Rectilineus est, in quo causatum non est causa sui.

§. 217. Ut mundus aliquis fiat existens, eget causa effectrice; est enim ens contingens (211); contingens non habet rationem existentiae in se

(92); hinc in alio, et, cum fiat existens, habet existentiae rationem in alterius actione (105); quod autem, ut sit, debet habere rationem existentiae in alterius actione, eget causa effectrice (191).

§. 218. Mundi ortus nequit attribui casui puro: habet enim ipse necessario rationem in actione alicujus causae (ex §. praec.); adeoque non est sine ratione.

§. 219. Nullus progressus in infinitum ad ortum alicujus mundi explicandum servire potest. Nam uterque progressus implicat. imo curvilineus, quia impossibile est, ut aliquid sui et causa, et causatum sit (196). Deinde rectilineus; Nam, cum ipse sit series causarum contingentium; in serie autem quantacunque contingentium necesse sit devenire ad causam extra hanc seriem positam, quae rationem sufficientem existentiae contingentium contineat (93); reipsa haec series haberet causam primam, eandem tamen non haberet ex notione progressus, cf. etiam §. 144.

§. 220. Mundi causa effectrix est substantia necessaria. Primo substantia: eget enim mundus causa effectrice, sive agente (217); nequit aliquid agere, nisi sit substantia (116); adeoque mundi causa effectrix est substantia. Deinde necessaria: entium enim contingentium existentia ultimam rationem habet in ente in existendo necessario (92. et 218).

§. 221. Mundus est diversus a causa sua effectrice, neque est hujus ulla determinatio interna. Primum ideo, quia mundus est ens contingens; causa autem effectrix substantia necessaria;
adeo.

adeoqua etiam, si mundus substantia est, est ipse substantia diversa a substantia necessaria. Alterum, quia in substantia necessaria nequit esse ulla determinatio interna stricte contingens (100); cum autem nulla determinatio sine determinato esse possit, quod determinatum denique substantia est (104); erit iterum existente mundo praeter substantiam necessariam adhuc alia substantia. Quidquid igitur mundus sit, eodem existente sunt plures substantiae, quam tantum unica; hinc etiam ex his error Spinozae refutatur.

§. 222. Mundus existens habet initium existendi. Nam, si ipse est substantia, est substantia finita (213); substantia autem finita, si existit, necessario habuit initium (178). Si vero mundus sit accidens, erit accidens substantiae finitae (221); ergo cum accidens ante substantiam, cujus accidens est, existere non possit (104); illa autem existendi initium habeat, habebit idem et accidens. — Quidquid igitur mundus sit, aeternus esse non potuit.

Referantur veterum de aeternitate materiae et mundi errores; opinio etiam Christianorum Philosophorum de possibilitate aeternitatis mundi.

§. 223. Ortus alicujus mundi denique ex nihilo est. Quidquid enim aliquis mundus existens sit, deveniendum denique est ad substantiam finitam, aut adgregatum substantiarum finitarum; omnis autem substantia finita, si existat, ex nihilo est facta (129. 197.); Ergo et ultimato mundus ex nihilo factus, sive creatus est.

§. 224. Mundus aliquis existens potest interire; est enim ens contingens; adeoque oppositum

tum existentiae ipsius non implicat; potest igitur fieri non existens. et quidem totus, hinc usque adeo abire in nihilum.

§. 225. Dum mundus existens durat, durationis suae rationem non habet in se, sed in substantia infinita: est enim mundus totum finitum; finitum autem nequit habere rationem durationis suae in se (179); habet igitur eandem in substantia infinita, sive necessaria (182).

C A P U T III.

NEXUS COSMICUS.

§. 226.

In omni possibili mundo necessarius est nexus. Nam omnis possibilis mundus est unum totum ex pluribus (210), quae plura simul sumta illud totum constituunt; sunt igitur singula aliqua ratio totius, et totum est rationatum singulorum simul sumtorum; ubi autem est ratio et rationatum, ibi, est nexus (21); et cum mundus non possit concipi, nisi ut unum totum ex pluribus, est nexus necessarius.

§. 227. Singula alicujus mundi etiam inter se necessaria connexa sunt: unumquodque enim singulorum ab altero, et ab aliis omnibus necessario dependet, et vicissim alia omnia ab uno: si enim vel unum desit, non hababitur totum; ergo in unoquoque est aliqua ratio, cur alia possint constituere totum; ergo singula alicujus
mun.

mundi etiam inter se necessario connexa sunt; adeoque in omni possibili mundo est nexus universalis (52), nexus ex essentialibus totius.

§. 228. In mundo existente dantur multa agentia diversa inter se; hinc multae substantiae (116); dantur multa accidentia (102), quae singula ad unum totum scilicet mundum, ut partes, pertinent; hinc mundus existens est compositum ex substantiis et accidentibus, adeoque in mundo existente datur nexus inter substantias singulas, inter substantias et accidentia, inter accidentia et substantias, estque ipse mundus systema integrum ex substantiis et accidentibus invicem connexis.

§. 229. In mundo existente dantur multa simultanea extra se posita, quae singula inter se singulorum locum (165. et 166.); multa successiva, quae singula inter se singulorum aetatem determinant; hinc in mundo existente datur nexus ratione spatii et temporis.

§. 230. In mundo existente dantur multae causae efficientes, multa causata; influxus mutuus in multis etiam inter remotissima, et minimorum in maxima; dantur exempla et copiae; media et fines etc.; hinc multiplex in mundo existente datur nexus; proximior et remotior; causalis; typicus; finalis etc. cf. Ont. Sect III. Cap. III. Hi igitur nexus in mundo possibiles sunt. Imo vero non videtur mundus aliquis cogitari posse, qui non constituatur ex pluribus substantiis diversis inter se activis, aut saltem partim activis, partim passivis, etiam intelligentibus; adeoque in quo non detur nexus physicus, etiam causalis, et plures aliae nexuum species.

An in mundo existente ita status subsequentes ab antecedentibus determinantur, ut in his sit ratio sufficiens subsequentium, adeoque ut obtineat necessitas cosecutionis hypothetica? *R.* Mundum aliquem talem, in quo omnia ista necessitate consequerentur, possibilem esse, negari non potest. In mundo existente experientia docet, multa consequi sua antecedentia necessario, utique hypothetice. Sic ortum solis consequitur dies etc. Sed istiusmodi nexus saltem in mundo existente circa singula agentia statui nequit: licet enim in statu praecedente aliqua semper subsequentis sit ratio: sic ante, quam libere possimus velle, aliqua debet adesse cognitio boni; non tamen haec ratio talis est, ut illa posita necessario consequatur volitio: scilicet cognitio boni est ratio sufficiens ad hoc, ut anima habens facultatem se libere determinandi, jam etiam se libere determinare possit. Verum de his, ubi de libertate.

An, si minimus quidam eventus in hoc mundo alius fuisset, atque est, omnia in mundo alia futura fuissent, aut essent, ac modo? . . . *R.* Cum mundus considerari debeat tanquam unum totum (210), et quidem compositum ex substantiis et accidentibus (223), cumque compositum quodvis singulare determinatis suis partibus, ac determinato conjunctionis modo debeat constare ex notione singularis (Log. §. 37.), cum etiam in toto et composito in quavis parte sit ratio alicujus determinationis in partibus aliis, ac denique ex determinatione aliqua entis mutata cogno-

scatur ipsum esse mutatum (95); sequitur, mundum vel non fore totum, vel non fore hunc mundum, si aut aliquid non contingeret, aut aliter, atque in Idea hujus mundi continebatur. . . . Inde tamen non video, aut non easdem, quae hunc mundum component, substantias in illo mundo inesse posse, aut non multos eventus ita posse evenire, ac modo eveniunt excepta illa determinatione, quae singulis tam substantiis, quam accidentibus ex eventu isto alio advenit. . . . Sed etiam non video, admissa illa sententia fatum *) induci, ac everti libertatem: manet enim contingentia absoluta, manet libertas, et inde denominatae actiones liberae tales, quales sunt, licet ad hunc mundum ipsae necessario pertineant, quoniam sine ipsis non esset hic mundus, sed alius. Remove ex hoc mundo homines, aut ipsos libertate spolia, eruntne eadem partes, aut eadem partium constitutio, adeoque et totius, eritne idem totum? Quis tamen idcirco homines absolute necessario liberos esse, aut necessario existere dixerit?

*) Uti casus nexui, sic fatum si ejus nomine intelligatur necessitas generalis et absoluta eventuum omnium, opponitur contingentiae, et libertati de eodem multiplici, scilicet Spinozistico, Stoico, Astrologico, Turcico coram.

CAPUT IV.

PERFECTIO MUNDI.

§. 231.

Perfectiorem mundi constituunt 1) perfectiones omnium partium mundi; 2) perfectiones nexuum: cum enim totum nihil aliud sit, quam complexus partium conjunctarum, omnis perfectio, quae in partibus inest et nexibus, ad perfectionem totius confert. 3) Consensus omnium in id, ad quod mundus est (71). 4) Gravitas et dignitas hujus ipsius, ad quod obtinendum mundus est.

§. 232. Mundus perfectissimus, sive *mundus optimus* est illè, in quo tot insunt perfectiones, et in tanto gradu, quot et in quanto gradu in mundo possibles sunt; hinc tot et tantae perfectiones partium, tot et tantae nexuum, tantus omnium consensus, tot et tantae rationes perfectiones determinantes, quot et in quanto gradu illa omnia in et pro mundo aliquo esse possunt.

Verum estne possibilis mundus perfectissimus?

. . . Ego quidem nondum legi argumenta, quae impossibilem evincerent. Quod etiam talis mundus sit finitus, ipsiusque perfectio finita, potius probat, dari gradum aliquem ultimum, ultra quem nullius mundi perfectio ascendere possit, non quia perfectio est, sed quia perfectio mundi est, utique necessario finita. . . Finitum augeri posse hoc sensu intelligi debet, scilicet, quod notioni

finiti non repugnet augeri, aut magis perfici posse; non vero, quod huic finito determinato augmentum non repugnet; neque enim, quod non repugnat conceptui superiori, idcirco etiam non repugnat conceptui inferiori. Sic non repugnat notioni mensurae, ipsam posse augeri, sed huic tamen determinatae mensurae vel minimum augmentum repugnat. Et nunquid in obviis quandoque nimia ornamentorum et perfectionum secundum se consideratarum multitudo rem deformem et imperfectam reddit; non quia ornamenta, quia perfectiones sunt, sed quia hujus jam talia non sunt. . . . Imo vero videtur quaecumque classis finitorum habere determinatum gradum perfectionum, ultra quem, si quod individuum progredere, jam hujus classis individuum esse desineret. Estne impossibilis gradus ultimus perfectionis hominis? an repugnat homo perfectissimus?

§. 233. Non est mundus possibilis, in quo non essent perfectiones et imperfectiones necessariae. Nam, cum omnis mundus sit ens habet perfectionem metaphysicam (76). . . Deinde cum sit ens finitum, habet imperfectionem metaphysicam (142). Et cum haec teneant quoad singulas mundi partes, quoniam entia finita sunt, etiam ex his patet, in omni mundo perfectiones et imperfectiones necessarias fore.

§. 234. In mundo existente sunt praeterea perfectiones et imperfectiones contingentes. Nam dum existentia totius contingens est, erit etiam contingens existentia realitatum et perfectionum

in mundo. Deinde, sicuti in partibus mundi deprehendimus quasdam perfectiones, quae abesse possent, adeoque dari negationes et imperfectiones contingentes in mundo.

An nullus mundus esse potest sine imperfectionibus physicis et moralibus? R. Cum non videatur mundus possibilis esse sine substantiis cogitantibus, aut saltem talis inutilis foret; potest primo ut certum admitti in quovis mundo id genus substantias fore. Deinde, cum illae sint quoque virium finitarum, poterunt etiam hae vires debilitari, impediri etc., et sic exurgere sensationes ingratae, adeoque adesse malum physicum. . . Si haerere inter substantias illas sint etiam, quae libertate gaudeant, illae certe, quoniam finitae sunt, a regulis praescriptis deficere poterunt. Si jam sibi, suisque dispositionibus relinquuntur, facile evenire poterit, ut hinc, inde quaedam a regula libere deficient, et hinc malum morale. . . Videtur itaque utrumque malum in quovis mundo facile evenire posse. . . In mundo existente novimus talia mala esse frequentia: ex ipsis tamen inferri nequit, hunc mundum non esse perfectissimum inter mundos posibles. Quodsi aliunde evinci possit, mundum existentem esse perfectissimum, consequitur, vel nullum sine talibus malis esse possibilem, vel illum, in quo talia mala non inessent, fore hoc mundo ob defectum multorum bonorum deteriorem.

An in quolibet mundo, adeoque etiam in existente, tantum mali, quantum boni, neces-

sario inest? R. Adseruit non nemo: Sed paradoxum non probat. Nam si sit sermo de malo metaphysico, hoc positis realitatibus continenter decrescit, si hic ita loqui licet; adeoque ubi plures realitates, ibidem minus malum metaphysicum. Sed an proportio inter nihilum et relitates institui potest? . . Dum autem idem autor loquitur de bonis et malis physicis et moralibus, atque inter illa ex inductione aequilibrium probare nititur, non observat, illum de perfectione, aut imperfectioe totius judicare ex ipso toto non posse, qui minimam totius partem vix novit. Quod universim contra illos valet, qui mundi totius perfectionem ex imperfectionibus quarundam partium ipsis aliqua ratione notarum impugnant, ex quibus solum sequitur, mundum non esse *ens* perfectissimum; non autem, mundum non esse *mundum* perfectissimum.

C A P U T V.

NATURA, NATURALE, SUPERNATURALE.

§. 235.

Natura est complexus omnium virium et receptivitatum entis (111). Sic ad naturam plumbi aeque pertinet ab igne liquefieri, quam in subiecta corpora premere.

Variae acceptiones vocis *natura* adferentur coram.

§. 236. *Natura mundi est complexus omnium virium et receptivitatum omnium partium mundum aliquem componentium, tam singillatim, quam simul sumtarum.*

De anima mundi, de principio hylarchico, de natura plastica, de Archæo, item de errore, quo Deus ipse natura mundi statuitur, in praelectionibus.

§. 237. *Judicium enuncians conformitatem determinationis cum ratione, quae in entis natura continetur, est regula (60), lex naturae illius entis. Hic leges naturae sunt normae, quas partes mundum componentes agendo sequuntur, et, dum sequuntur, exprimunt. In mundo existente tales leges dari, docet experientia, et in quovis alio mundo, si existeret, aliquas istiusmodi leges esse debere, docet satis ratio.*

§. 238. *Ordo naturae est convenientia actionum et passionum partium mundi cum legibus naturae, et cursus naturae est successorum cum illis legibus convenientia; adeoque cursus pars ordinis est.*

§. 239. *Eventus ordinarius est eventus conformis regulis certi cujusdam ordinis. Extraordinarius est eventus, qui non est conformis regulis cujusdam certi ordinis; si nullis nllius ordinis, est absolute; si vero non est conformis dati certi ordinis regulis, respective extraordinarius est. Tempore hyberno conglaciari aquam ordinarium quid est, sed idem, si fieret mediâ aestate, respective extraordinarium foret*

§. 240. Eventus sine ratione sufficiente proxima esset *saltus absolutus*. *Respectivus*, si est sine ratione sufficiente ordinaria.

§. 241. Natura mundi est absolute contingens. Nam omnium partium mundi vires et receptivitates finitae sunt, cum ipsae partes finitae sint, ac mundus totus (213); omne autem finitum contingens est (146); ergo et natura partium mundi, et mundi totius.

§. 242. Leges, ordo, cursus naturae absolute contingentes sunt. Cum enim econtingentia sint illa omnia, circa quae leges, ordo, cursus obtinent, et haec absolute contingentia esse necesse est. Sed haec contingentia per se necessitatem hypotheticam non tollit.

§. 243. *Naturale* generatim est illud, quod habet rationem sufficientem in natura entis; et hinc naturale in mundo est, quod habet rationem sufficientem in ejusdem natura. Speciatim naturale hic dicitur eventus, qui habet rationem sufficientem in viribus entium contingentium sive singillatim, simul sumtorum. Sic naturalis est combustio ligni in ignem injecti.

§. 244. *Contranaturale* est id, cujus in entis natura non tantum non est ratio, sed esset etiam ratio oppositi, nisi illa impediretur. Sic contranaturele est corpori humano et igni, illud in ardentem rogam injici et non aduri.

§. 245. *Praeternaturale* est id, cujus quidem in entis natura non est ratio, sed nec est ratio oppositi. Sic quidem non est contra naturam hominis, ipsum aegrum sanari, sed tamen solo imperio alterius eundem sanari praeter naturam hominis est.

§. 246. *Supernaturale* est id, cujus ratio sufficiens in entis naturae non est, potestque ipsum esse vel contranaturale, vel praeternaturale, et, cum utrumque esse possit vel respectu singulorum et omnium contingentium simul sumtorum, vel respectu aliquorum tantum, hoc sensu tam contranaturale, quam praeternaturale possunt esse absolute, vel respective talia.

§. 247. *Supernaturale* prout hic sumitur, est eventus, cujus ratio sufficiens non est in viribus entium contingentium sive singillatim, sive simul sumtorum. Aliud est *supernaturale* quoad *substantiam*, aliud quoad *modum*. Primum est, si res quoad se, alterum, si modus, quo res est, non habeat rationem sufficientem in viribus contingentium.

§. 248. *Miraculum* est eventus supernaturalis extraordinarius; est ipsum vel quoad substantiam tale, vel quoad modum (247).

Miraculum nullatenus debet confundi cum *mirabili*. Monstra naturae mirabilia sunt, sed tamen naturalia, licet respective extraordinaria (249).

§. 249. *Miracula* in omni mundo possible sunt. Nam, cum supponatur talis eventus interna possibilitas (contradictoria enim a nulla vi fieri possunt); illa impossibilitas foret externa; ergo vel respectu causae, vel respectu mundi miracula essent impossible. Non primum: Nam substantia infinita (148. et 149.) miraculis producendis sufficit; Non alterum: nam natura et leges mundi contingentia et finita sunt (241. et 242.); adeoque et contra illa et majus quiddam, quam ab iis possibile est, fieri poterit.

§. 250. Si fiunt miracula, fiunt a vi ad hunc mundum instar partis non pertinente. Nam miracula non habent rationem in viribus entium contingentium; omnis autem mundi vis est contingens (228); ergo in tali aliqua vi ratio miraculorum non est; est ipsa tamen in aliqua vi: nihil enim est sine ratione sufficiente, et nullus effectus sine vi agente; ergo in vi ad hunc mundum instar partis non pertinente, scilicet in vi infinita.

§. 251. Evētus supernaturales, qui in mundo aliquo fiunt, eo ipso sunt partes mundi, adeoque et miracula partes mundi sunt. Nam eventus isti omnes finiti sunt, seriei entium finitorum (210) interserti, cum his etiam connexi saltem ratione compossibilitatis cum iisdem, et ex aliis etiam rationibus, quae quidem causae efficientes supernaturalium non sunt; connexi praeterea ratione suorum consecratorum, quae idcirco supernaturalia non sunt. Patent ista omnia ex quovis miraculo facto: Exemplum cape in suscitatione Lazari mortui ad vitam, et in ipsius suscitati actionibus humanae naturae conformibus.

An erraret, qui adsereret substantiam infinitam infinita sua cognitione sibi ab aeterno singulos mundos possibilis distinctissime repraesentasse, atque in idea uniuscujusque, etiam omnium optimi vidisse, ad perfectionem summam totius possibilem obtinendam necessaria esse et multa, et grandia miracula, eaque ab aeterno, dum mundum omnium optimum pro summa sua sapientia et bonitate liberrime decrevit, simul liberrime decrevisse? . . . Hactenus ego quidem neque

ex ratione, neque ex revelatione errorem detego. Certe substantias rationales finitas ita aberrare potuisse (quidni et in mundo optimo?) ut nec suis, nec totius mundi viribus damnum reparari potuerit, nos sancta docet Religio.

§. 252. Nullus eventus naturalis, aut supernaturalis est absolute extraordinarius, nec saltus absolutus (238). Non primum: quia absolute extraordinarium implicat (67). Non alterum: quia, ubi deest ratio sufficiens proxima, reipsa deest ratio sufficiens, cum rationes remotae quatenus tales, semper insufficientes sint: adeoque miracula nec sunt absolute extraordinaria, nec saltus absolutus.

CAPUT VI.

QUAEDAM LEGES GENERALES NATURAE.

§. 253.

In eventibus naturalibus transitus ab uno statu ad alium per singulos intermedios, e. g. ab uno gradu ad alium altiorem, aut ab altiore ad inferiorem nullo intermedio omissio appellatur *continuum in natura*. Si quis gradus intermedius omitteretur, esset saltus huic continuo oppositus.

§. 254.

§. 254. In actionibus et eventibus naturalibus, sive hi ad *evolutiones*, sive *involutiones*, sive ad *incrementa*, sive ad *decrementa* referendi sint, transitur per singulos status intermedios. Nam omnis vis ad mundum pertinens est finita, omnis illus actio, et omne causatum finitum; hinc ubi habentur status intermedii, habetur initium, medium et ultimum, cujus ultimi necessaria praerequisita sunt initiales et medi status. Sic, ut fructus proferat arbor, ante floreat, necesse est, et in his ipsis statibus sibi sine interruptione succedentibus status initialis et intermedii complures sibi continuo succedunt nullo prorsus omisso. Item ut legere quis possit, ante addiscere debet characteres et syllabas: Imo in ipsis animae nostrae statibus transitus ab uno non sit ad alium omissis intermediis: scilicet: nemo repente fit pessimus, nec optimus. — Propositio dicitur *lex continuitatis*.

An lex haec obtinet etiam in classibus entium hunc mundum componentium? An a perfectione minima sine interruptione usque ad summam finitam in aliqua classe possibilem in hoc mundo adscenditur? An classes entium proxime sibi adsitae sunt? . . Ita videtur; nam deprehenduntur animalia, quorum actiones si considerentur, eorum facultates vix videntur distare a facultatibus hominum, deprehenduntur animalia, quae vix distant a plantis, et v. v. Contrarium huic opinioni neque ex ratione, neque ex experientia probari poterit; imo, qui experientiam vellet objicere, similis foret puero, horizonte suo optico limites universi definienti.

Verum an idcirco etiam statuendum, non dari vacuum spatium, dum non datur vacuum inter gradus? *B.* Extensum substantiale continuum alibi ostensum est esse impossibile (138).

§. 255. Nihil est sine rationato (24), nec in rerum natura quidquam frustraneum est, neque ulla vis frustra agit, et vi agenti semper est accurate proportionatus effectus; rationi enim semper proportionatum est rationatum (25); adeoque nunquam plus virium impenditur, quam ad effectum requiritur. Haec si veniant nomine *legis parsimoniae*, nomine *legis minimi*, datur et haec lex in rerum natura generalis.

§. 256. *Lex conservationis*, dicitur ab aliquibus haec propositio: in rerum natura nihil interit. Verum, si ipsa intelligatur de substantiis, atque hunc sensum habeat, nulla substantia ad mundum pertinens aliam destruit; non hoc viribus et actionibus substantiarum finitarum, sed insufficientiae virium tribui debet (154). De mutationibus in mundo occurrentibus utique intelligi propositio non poterit.

Adferuntur ab aliis adhuc plures leges naturae generales, inter quas etiam illae, quae finibus mundi, ejusdemque summae perfectioni innituntur. Sed fines principales mundi determinari non possunt. neque ejus perfectio nondum discussis partibus mundi, et natura, perfectionibusque conditoris. Caeterum leges ex summa perfectione mundi deductae sunt sequelae ex notione optimi.

 COSMOLOGIA SPECIALIS.

 P R A E V I A.

§. 257.

Partes generalissimae mundi sunt substantiae et accidentia (228). Omnis autem substantia simplex est (127); Omnis vel vis est, vel saltem vi praedita. Nequit igitur substantia dividi simplicem et compositam; neque in substantiam vi praeditam, et omni vi carentem.

§. 258. Possibilis est substantia finita, quae polleat vi sibi aliquid repraesentandi, et possibilis est substantia, quae hac vi non polleat: nam neque ex notione substantiae, neque simplicis, neque vis, neque actionis sequitur, ad omnem actionem in agente ipso requiri vim repraesentandi. Repraesentatio certe actionum species aliqua est, a qua diversae species possibles sunt. Possunt igitur substantiae generatim dividi in illas, quae sibi repraesentare possunt, et, quae sibi repraesentare non possunt. Primas dicemus substantias spirituales, *spiritus*, sensu latissimo, alias materiales, elementa materialia, *materiam* absolute primam. Utraque classis in diversissimas alias abire potest.

Adferantur opiniones Malebranchii negantis vim repraesentandi substantiis finitis, et Leibnizii de vi Monadum. Item notetur in notione materiae ab aliis exprimi compositionem.

PARS

P A R S P R I M A.

SOMATOLOGIA GENERALIS.

C A P U T I.

GENESIS CORPORUM ET VIS SUBSTANTIARUM COMPONENTIUM.

§. 259.

In mundo existente me cogitantem videntur circumstare multa composita, quae corpora dicimus, et haec etiam reipsa dari, apud sanos certum est. Negat *Egoista*, qui se solum cogitantem esse mundum putat, et *Idealista*, qui quidem non se solum in mundo existere, sed tamen in eodem existere corpora negat. Uterque errat.

§. 260. Illa in corpore, ad quae facta omni possibili resolutione ultimato cogitando deveniunt, sunt *elementa* corporis, partes primae, entia simplicia, atomi ex se.

§. 261. Corpus *observabile*, sensibile id dicimus, quod per sensus possumus cognoscere. Quae per sensus non possumus cognoscere corpora, *corpuscula* dicuntur. Haec si immediate ex elementis oriuntur, *primitiva*; quae ex his oriuntur, *derivativa* sunt.

§. 262.

§. 262. Omne corpus ex elementis consurgit; omne enim compositum consurgit ex suis partibus (122). Generatim igitur genesis omnis corporis certa elementorum conjunctione absolvitur. — Ipsa elementa sunt *materia*, nempe prima, et ratio conjunctionis forma cujusque corporis est.

Essentiale inter corpora discrimen tam in elementis, quam in ratione conjunctionis situm esse potest.

§. 263. Si corpus aliquod existat, etiam elementa, ex quibus componitur, existere debent. Haec non sunt necessario conjuncta (124). Hinc 1) omne corpus est ens contingens; 2) Elementa possunt existere, quin sint conjuncta; adeoque vel necessario ut determinatio alterius alicujus, vel minus; Non primum: cum sublatis nexibus ipsa non tollantur, nihilque sit, cujus determinatio jam necessario sint; ergo possunt ipsa existere, quin sint alterius determinatio; adeoque elementa corporis substantiae sunt (102). Corpus igitur est ens compositum ex substantiis.

§. 264. Dum corpus aliquod oritur, vel ita oritur, ut elementa simul incipiant existere cum conjunctione, vel ita, ut elementa jam ante extiterint, et nunc primum certa ratione jungantur. Item: dum interit corpus, vel ita interit, ut simul elementa nexusque intereant, vel ita, ut tantum nexus intereant. Inde duplex est ratio tam ortus, quam interitus corporis.

§. 265. Si quidquam experientiae fidendum, corpora agunt, et ipsa agere, etiam rationi consonum est. Sed tamen in corpore nihil agit, nisi substantiae; nexus enim non agunt, sed sunt ali-

aliquid ex iis, quae fiunt. Elementa igitur id sunt in corpore, quod agit; Vis igitur tota corporis est vis composita ex viribus elementorum; et omnis actio corporis est composita (109). Haec tamen tota nihil aliud est, nisi multitudo ex actionibus partialibus singularum substantiarum simplicium ita, ut in corpore non detur ratione totius vis aut actio, quae esset distincta a viribus aut actionibus singularum.

§. 266. Substantiae corpus componentes vel gaudent vi sibi repraesentandi, vel minus. Pro primo nulla est ratio a priori (254), multo minus a posteriori. Videtur itaque esse alterum, et corpus esse compositum ex substantiis, sive monadibus non sibi repraesentantibus.

§. 267. Quousque persequi hucusque vires in universo obtinentes per experientiam cognitae humanus intellectus potuit, simpliciores his binis non deprehendit, scilicet vi sibi repraesentandi, et vi motrice, quae est illa, quae continet rationem motus (169). In elementis corpus componentibus primam dari, non credo; alteram dari certum est, cum ipsa sit in corpore, hinc in elementis (260).

§. 268. Si omnis substantia vis est, et omnis vis substantia, jam omnis substantia est tantum una simplex vis. Si vero vis est aliquid in substantia, tum non adparet, quare in una substantia non possint esse plures vires primitivae (108). Sed tamen illae statui non debet, quamdiu ad unam vim revocari omnia in aliqua substantia possunt. Quidquid igitur sit, si ad vim motricem reliqua in corporibus revocari possunt, ipsa vero ex alia derivari nequeat saltem in corporibus, potest vis motrix tamdiu vis primitiva

elementorum haberi, atque ipsa elementa dici possunt vires motrices, aut substantiae vi motrice praeditae.

C A P U T II.

PROPRIETATES GENERALES CORPORUM.

§. 269.

Proprietates generales corporum dicuntur illae adfectiones, quae deprehenduntur in singulis. Maxime generales et potissimum ut tales admittuntur, adferuntur hae: Impenetrabilitas, partium cohaesio, extensio, divisibilitas.

§. 270. Substantiae dicuntur *impenetrabiles*, quae simul in eodem loco existere nequeunt. Abstractum igitur impenetrabile esse, *Impenetrabilitas*, etiam soliditas dicitur. Omne corpus, quantum est ex experientia, impenetrabile deprehenditur, unde impenetrabilitas est proprietas corporum generalis.

§. 271. Ratio, cur corpora in eodem loco existere nequeant, sive impenetrabilia sint, est in vi activa elementorum. Nam in eodem loco existere possent, nisi se mutuo impedirent; sed se mutuo impedire non possent, nisi agerent; ergo ratio, cur in eodem loco existere nequeant, est in vi activa, haec non est, nisi in elementis (264). Vis activa elementorum ob phaenomenon dicitur *vis resistens, repulsiva*.

§. 272.

§. 272. *Cohaerere* diciuntur partes alicujus compositi, si ipsae non sine difficultate ab alia quadam vi interveniente ab invicem separari possint. Abstractum 78 cohaerere, dicitur *cohaesio*. Cum omne corpus sit compositum, cujuscunque corporis partes aliqua ratione cohaerere debent.

§. 273. Ratio cohaesionis non est in *Adiastasia*, sive negatione distantiae, si ipsa sit idem, quod est contactus verus immediatus: talis enim contactus elementorum in corporibus esse nequit (128). Hinc nequidem iste contactus causa occasionalis cohaesionis partium in corporibus esse potest.

§. 274. Ratio cohaesionis etiam ex vi activa elementorum videtur repetenda. Nam, cum hujus cohaesionis ratio aliqua dari debeat, et quidem ratio efficiens, cum ipsa cohaesio actualis sit, illa vel est externa corporibus, vel interna; si externa, non adparet alia, nisi actio substantiae infinitae: sed sufficit, hanc, dum corpora condidit, elementis vim indidisse, cujus actione invicem cohaerere possent; adeoque, cum in corporibus jam varie coagmentatis partes cohaereant, ratio proxima cohaesionis ipsi corpori interna est, adeoque in vi elementorum sita (265). Vis elementorum ob hac phaenomenon dicitur *vis attractiva*, cohaesiva. Si jam per contactum velis intelligere influxum (106) propiorem unius elementi in aliud, et hujus mutuum non intermediente alia substantia, ita tamen, ut elementum quodvis ab altero distet, videtur vera propositio: elementa per contactum, sive influxum mutuam cohaerent.

Docet experientia, etiam corpora integra versus alia in certis circumstantiis niti. Sic lapis in alto sibi relictus ad terram ruit etc. . . Ratio hujus descensus videtur etiam repetenda a vi attractiva elementorum tam terram; quam lapidem componentium, quae tunc a Physicis adpellatur *gravitas*. Si *qualitatum occultarum* nomine designentur ejusmodi vires, quae nullibi sunt, sed tantum finguntur esse, vis repulsiva et attractiva qualitates occultae non sunt. Si vero eo nomine veniant vires, quae distincte nondum explicatae sunt, adpellentur, per me licet, et istae vires qualitates occultae: sed quae tunc vis in universo superest, quae non sit qualitas occulta?

§. 275. Dum elementa corpus componentia ab invicem distant, et tamen cohaerent, necessario in corpore oritur spatium (134); hinc *extensio* (136) proprietas corporibus communis.

Cum figura sit spatium terminis clausum, ex extensione corporis etiam figura consequitur, et omne corpus figuratum est.

An recte Cartesius essentiam corporis in extensione reposuit? . . *R.* Non videtur nam licet extensio esset determinatio necessaria corporis, non tamen est inter primas, ex qua reliquae deduci possent.

§. 276. *Divisibilitas* corporum est partium ab invicem separabilitas. Cum quodvis corpus constet partibus, quibus nexus contingens est (124); nexus ille tolli poterit; hinc partes separari.

An corpus est in infinitum divisibile? . . . Absit; caeteroquin vel esset numerus infinitus elementorum in quovis corpore, quod implicat (144), vel corpus non constaret ex partibus ultimis simplicibus, sed semper compositis, quod iterum falsum est (125 et 126).

§. 277. Proprietates hucusque enumeratae ex vi motrice recte deducuntur. Nam 1) cum corpus impenetrabile esse nequeat, sive aliud ex eodem loco non possit excludere, nisi illud ad recedendum determinet, reipsa unum determinat aliud ad motum, quae determinatio in vi motrice rationem habet. 2) Dum partes cohaerent, quin se contingere possint; item, dum corpora versus alia grandiora urgentur, hoc aliunde deduci nequit, quam ex nisu et tendentia elementorum versus se invicem; ille autem nisus in vi motrice rationem habet estque elementorum ad accessum determinatio. 3) Extensio ex vi repulsiva et attractiva simul consequitur. 4) Divisibilitas est a partium mobilitate tali, vi cujus una pars potest moveri celerius, quam altera:

CAPUT III.

LEGES, SECUNDUM QUAS CORPORA
AGUNT.

§. 278.

Omnia, quae a corporibus in corporibus fiunt, motu fiunt. Cum enim in elementis non sit alia vis, quam vis motrix; haec autem non habeat aliud rationatum, nisi motum, patet, in corporibus, saltem a corporibus nihil fieri, quod non fiat motu. Nihil sane hucusque detectum est mutationis in corporibus a corporibus, quod rationem in motu non habeat.

Compositum substantiale, quod secundum leges motus moveri potest, *Machina* dicitur, et ejus natura secundum leges motus determinata *Mechanismus*. Philosophia, quae phaenomena corporum ex eorum. Mechanismo explicat, est *Mechanica*.

§. 279. Potest admitti elementum materiale esse in nisu perpetuo abeundi versus quamcunque plagam; sed tamen, ut ipsum determinata aliqua directione feratur, aliunde debet determinari. Nam primo, licet *demonstratum* nondum sit, omnem vim saltem in conatu agendi semper esse constitutam, (114) est ipsum tamen vero admodum simile, praesertim in vi elementorum; cum corpora versus omnem plagam resistant, et licet haec resistentia tum primum ad-

ver-

vertatur, cum ponitur objectum, versus quod corpora resistant, inde tamen inferri nequit, tum primo in elementis istum nisum oriri: nequit enim concipi, qua ratione tum primum vis elementorum fiat activa, si unum corpus ad aliud accedat, nisi jam ante in nisu aliquo elementa constituta fuerint. Deinde cum neque in isto nisu, neque in vi motrice ipsa sit aliqua ratio, cur potius hac, aut illa directione elementum aliquod moveatur, ipsum certa directione non movebitur, nisi aliunde determinatum, imo ne movebitur quidem, quoniam non alia, nisi determinata directione moveri potest.

§. 280. Non potest elementum determinari ad motum secundum certam directionem, nisi vis resistentiae quaqua versus agens saltem ex parte superetur. Unde consequens est, oriri conflictum, dum unum aliud movere conatur; hinc difficultatem in movendo, aut etiam celerius movendo. Atque inde est, quod dicimus *corpus conatur tueri statum suum*, quae propositio dicitur lex motus aliqua. Conatus ille apud Philosophos *vis inertiae* audit, quae est confectarium vis repulsivae elementorum versus omnes plagas agentis.

Lex haec extenditur ad utrumque statum corporis, sive quietis, sive motus ita, ut corpus motum dicatur perseveraturum in motu tamdiu, donec ab alia causa corpori moto externa ad quietem iterum determinetur. Constat quidem experientia, corpus eo diutius moveri, quo plura externa motus impedimenta sublata fuerint; sed tamen, me iudice, inde satis tuto inferri non poterit, ipsum omnibus impedimentis externis sub-

latis semper in motu futurum, si semel motum fuerit: nam praeterquam, quod hujus rei experientia haberi a nobis nulla possit, non videtur impossibile, nisi elementorum versus omnes plagas in ipso etiam motu corporis perstante id effici non posse, ut corpus ad quietem reducatut: si etiam ratio motus continuati corpori moto interna statuatur sublatum aequilibrium inter nisus versus omnes plagas: hoc enim aequilibrium cur ipsis elementorum actionibus reduci non possit?

§. 281. Vis motrix elementorum non tantum ad repellenda a se alia elementa, sed etiam ad se mutuo attrahenda tendit (274). Hae variationes observantur variatis distantis; sed tamen ipsae variatae distantiae non sunt causae effectrices horum variorum phaenomenorum, sed ipsa vis motrix. Unde statui potest lex: *Vis motricis elementorum actiones variant variatis distantis*; hinc et corporum.

Hoc ipsum quoad gravitatem (facta praecisione a multitudine elementorum corpora componentium) in corporibus grandioribus ita jam compertum est, ut dubium non supersit. Quod ad elementa ipsa pertinet, virium theoriam operose conscripsit cl. Boscovichius. Verum habet adhuc semper explicationem difficilem, qua ratione eadem elementa resistant et attrahant, sive impenetrabilitatem et cohaesionem efficiant, licet utrumque certum videatur. — Boscovichii hac in re cogitata illa sunt, quae nollem explodere.



§. 282. *Reactio corporis unius versus aliud in se agens contraria semper et aequalis est actioni alterius in ipsum.* Reagit enim 1) versus illam plagam, ex qua aliud agit; hinc in partem oppositam. 2) Tantum reagit, quantum aliud in ipsum agit: non enim est ratio, cur magis reagat, neque cur minus: reactio enim actione alterius determinatur, cum non detur reactio, nisi detur actio.


Phaenomena, quibus haec lex confirmatur, abunde adferuntur a Physicis.

§. 283. *Si corpus pluribus viribus sub diversis directionibus determinetur ad motum, motus respondebit compositioni virium determinantium, et directio directioni ab his viribus profectae ita, ut, si directiones oppositae non fuerint, corpus feratur directione ex directionibus virium participante.* Nam cum ratio motus actualis per spatium sit in viribus determinantibus, et in iisdem sit etiam ratio directionis; rationatum autem semper sit proportionatum suae rationi; in virium compositione motus respondebit quantitati et directioni virium determinantium. Deinde cum corpus diversis directionibus simul ferri nequeat: possit tamen ferri directione ex utraque, aut etiam pluribus participante, haec etiam feretur. In oppositione directionum, si vires aequales sint, non consequetur motus ob elisionem virium; si in aequales; fertur directione, quae est a vi praepollente.

Haec iterum in singularibus casibus experientia confirmantur.

§. 284. *Si corpus motum incurrat in aliud, motus mutantur continenter, et quidem ante contactum verum.* Primum est propter resistentiam; Secundum, quia motus continuum est, et vis ipsum producat, aut extinguens finita (254); Tertium est, quia corpora, si se vero contingerent, secundum aliquas partes compenetrarentur (138), quod fieri saltem naturaliter nequit ob impenetrabilitatem elementorum.

De celeritate, et motus quantitate, quantum huc pertinet, in praelectionibus.



COSMOLOGIAE SPECIALIS

PARS ALTERA

PNEUMATOLOGIA GENERALIS.

CAPUT I.

NOTIO SPIRITUS, ET POSSIBILES
DIVERSAE SPIRITUUM SPECIES.

SECTIO I.

NOTIO SPIRITUS, ET CUM HAC
CONNEXA

§. 285.

*S*piritum sensu latissimo adpello omnem substantiam, quae sibi repraesentare potest, adeoque, quae ipsa vel vis est, vel praedita vi sibi repraesentandi. Dari in hoc mundo substantias sibi repraesentantes satis certum est. Mundus ex meris spiritibus, foret mundus *pneumaticus*, mundus Idealistae.

Non

Non puto, pertinaciae vitium illis Philosophis, quibus hic adstipulor, jure objici: Si enim ex primitivis substantiarum viribus illarum diversitas repetenda sit, virium autem diversitas ex actionum diversitate desumi debeat, ita, ut recte concludatur, ubi ne vestigium quidem alicujus certae actionis ab omnibus indagatoribus hucusque deprehendi potuit, ibi etiam facultas ad talem actionem statui non debet; judico omnino, substantias generatim recte dividi in sibi repraesentantes, et non sibi repraesentantes, motrices tantum, adeoque in materiales et spirituales (258). Id certe, quod quaedam substantiae sibi repraesentantes minus distincte, aut omnino non distincte, sibi repraesentare possint, me aequae parum determinabit ad rejiciendas ex genere spirituum tales substantias, ac modica scintillae lux me permoveere potest ad negandum, scintillam esse ignem.

§. 286. In notione motus nihil prorsus continetur, ex quo deduci possit, ad aliquam motus speciem pertinere repraesentationes. Nam, si inutiles speculationes omittere velis, motum actualem proprie sumtum aliter concipere non potes, quam ipsum esse transitum continuum ex una spatii parte in aliam (169); si igitur ad aliquam motus speciem pertineret repraesentatio; et ipsa foret aliquis transitus etc. hic autem transitus est aliquid repraesentabile, non repraesentatio, et ut cognosci possit, praerequiritur vis sibi repraesentans.

§. 287. Neque variationes illae, quae in corporibus per motum fiunt, ullum praebent fundamentum repraesentationes referendi ad motiones: illae enim variationes non sunt, nisi mutationes extensionis, loci, situs, figurae etc. paucis: Quidquid motus in corporibus variat, variat tantum *imaginem repraesentabilem*; imago autem talis ipsa repraesentatio non est.

§. 288. Vis repraesentandi nequit oriri ex compositione virium tantum motricium, sive substantiarum materialium: dum enim vires motrices conjunguntur, non oritur nisi multitudo actionum ex actionibus singularibus singularum virium motricium, non aliqua actio singularis totius, cum non sit vis aliqua singularis totius (265); in viribus autem singularibus motricibus non est ratio aliqua repraesentationis (286).

Ex mechanismo igitur alicujus corporis non potest haberi repraesentatio: quidquid enim ex tali mechanismo consequitur, illud a viribus substantiarum materialium dependet; hinc a vi motrice, adeoque a motu ad quem referri repraesentatio nequit.

Consequitur ulterius, illud, quod sibi repraesentare potest, pollere alia vi, quam motrice tantum.

§. 289. Vis repraesentandi completa nequit oriri ex compositione substantiarum quarumcunque. Vel enim singulae substantiae compositum constituentes nullam habent vim sibi repraesentandi, vel singulae habent vim completam, vel singulae incompletam: si primum: etiam nulla vis erit compositi: cum compositio neque vis aliqua sit, neque vim producere possit, quoniam
ipsa

ipsa est merum accidens (116. 124). Si alterum: jam non ex compositone oritur vis completa, ut patet. Si tertium: nequit in illo composito esse vis completa repraesentandi, quoniam singulae substantiae sibi incompletae repraesentarent insciae repraesentationum incompletarum in aliis existentium; haberetque se quaelibet relate ad alteram, sicuti in multitudine hominum diversa tacite cogitantium se habet cogitatio unius ad cogitationem alterius. Quidquid igitur sibi repraesentare potest, est simplex, et omnis spiritus simplex est.

An Deus monadi materiali possit conferre vim sibi repraesentandi, quaestio est, cujus decisio a Philosophia exspectari non potest: neque enim essentiam monadis materialis pervidere possumus. Sed nec illius decisio quidquam habet utilitatis: Animarum certe immortalitati eadem nec prodest, nec obest. Ille solum materialismus nocet, qui animam negat esse substantiam, aut eandem dissoluto hoc corpore vivere, aut operari posse.

§. 290. Repraesentatio neque motus (286), neque hujus effectus est (287); non sequitur ex mechanismo corporum (288), neque ex ulla compositone substantiarum (289). Sed quid ipsa est? . . . Explicare nescio. Est actio; hinc supponit substantiam, quam ab illa actione dicimus, viri sibi repraesentatricem aut esse, aut habere.

Qui repraesentationem dicunt adsimulationem objectorum in repraesentante productam, nihil explicant; multa implicant. Videtur haec spirituum actio ita simplex, ut saltem a nobis resolvi nequeat.

Possuntne esse repraesentationes sine omni advertentia in repraesentante? Communiter adfirmatur, non tantum posse tales esse, sed reipsa esse multas, et adfirmantes vix non ad experientiam provocant. Ex hac tamen id videtur probari non posse: certe aliud est: non reminiscor me advertisse, et aliud: non adverti.

S E C T I O II.

POSSIBILIS SPIRITUUM DIVERSITAS.

§. 291.

Cum vis aliqua primitiva, etsi eidem generi substat, possit ex essentia sua esse perfectior altera, possit etiam esse ratio plurium derivatarum, sive facultatum, et harum etiam perfectiorum, certum est, varias spirituum species esse possibles.

§. 292. Non implicat substantia, quae omnia et singula possible sibi distinctissime repraesentet: non enim substantia vis infinitae implicat (37. 149.). Hinc possible est spiritus infinitus, et actualis est (148); sed unicus tantum (151); ipse vero non est pars mundi (210).

§. 293. Possibles sunt substantiae finitae sibi repraesentantes, quae repraesentationes suas diversimode modificare possunt, quae illas resolvere, plures combinare, iisdem abstrahere, novas ex datis eruere, quae ob repraesentatione suas ad varias actiones vi sua se determinare possunt

et

et sunt possibles, quae nequeant resolvere, combinare, abstrahere ex defectu essentiali. Istae sunt spiritus nobiliores respectu harum.

Suntne spiritus possibles, qui tantum sibi repraesentare, ex repraesentationibus autem suis ad nullam ulteriorem actionem se determinare possunt? Implicantiam non video, sed nec magnam inde istis repraesentantibus utilitatem.

§. 294. Possibiles sunt spiritus, qui, dum existunt, actu sibi semper repraesentant, et possibles sunt, qui quidem non semper actu sibi repraesentant, sed tamen semper in conatu sunt sibi repraesentandi. Hi duplices iterum generis possibili sunt, scilicet tales, qui se ipsos ad actuales repraesentationes excitare possunt; et tales, qui hoc non possunt, sed debent aliunde determinari.

§. 295. Possibiles sunt spiritus, qui, etsi in conatu agendi constituti fuerint, agere tamen nihil possunt, nisi proximius conjuncti fuerint cum corpore organico; et sunt possibles, qui tali corpore ad actiones suas non indigent.

§. 296. Possibiles sunt spiritus, qui quidem extra conjunctionem cum corpore organico agere possunt, si tamen cum eodem conjuncti fuerint, operari nequeunt, nisi dependenter a corpore; et inter hos possibles sunt, qui in istis circumstantiis nullas operationes suscipere possunt, et possibles sunt, qui tantum aliquas in illis circumstantiis exercere nequeunt, nisi sub dicta conditione.



CAPUT II.

NEXUS SPIRITUUM FINITORUM INTER
SE, ET SALTEM QUORUNDAM CUM
CORPORIBUS ARCTIOR.

SECTIO I.

NEXUS SPIRITUUM INTER SE.

§. 297.

Cum singuli spiritus finiti in hoc mundo existentes, sint etiam ipsius partes, singuli inter se, et cum reliquis mundi partibus. necessario connexi sunt (227). Verum an inter ipsos spiritus finitos non datur nexus aliquis major? An unus ager in alterum nequit illum excitando ad certas repraesentationes, determinando ad certas actiones etc.? Si plures sint actuales, estne quilibet inscius aliorum, atque extra omne cum aliis commercium positus?

§. 298. Possibile est, ut spiritus finiti se invicem ad varias repraesentationes producendas etc. determinare possint; neque enim hoc iis, quatenus substantiae finitae sunt, neque, quatenus spirituales sunt, repugnat: agere certe, et pati ab aliis, agere ex determinatione alterius non contradicit substantiae finitae, neque spiritui

finito. Adde, monades materiales in se invicem agere (265), nisi omnium mutationum, quae in corporibus contingunt, immediatum autorem Deum statuere velis, quod non est Philosophi. Cum igitur monades spirituales in se invicem agere, suisque actionibus se invicem determinare non possent?

§. 299. Si spiritus existentes sunt, unum saepe alterum ad actiones determinare, aut saltem actiones ponere, ob quas alter se determinet, ex experientia constat, et ubi experientia deficit, non continuo videtur negandum, tale quid fieri.

§. 300. Possibile est, ut spiritus finiti agant in se invicem sine auxilio alicujus corporis. Nam si hoc foret impossibile, vel ideo esset, quia nullus spiritus finitus sine aliquo corpore existere posset, vel, licet sine corpore existere posset, sine ipso tamen in alium spiritum agere non posset. Non primum: nam cum substantia una sine altera existere possit (180); poterunt etiam substantiae sibi repraesentantes sine monadibus materialibus existere; adeoque sine corporibus. Non alterum: cum enim quaelibet substantia vel vis sit, vel vim habeat, non adparet, quare haec in singulis spiritibus necessario ita limitata sit, ut ad determinandum alium quendam spiritum singuli indigeant corpore.

Sententia, adserens, singulos spiritus finitos alicui corpori, aut saltem corpusculo arctius unitos esse, etsi magna autoritate tum veterum, tum recentiorum nitatur, mihi nondum sufficienter probata videtur. Id interim advertendum, veteres saepe corpus vocasse id omne, quod limitatum est.

Adaemonismus, sive doctrina negans dari daemones, vel negat dari nullos spiritus finitos, et ad materialismum pertinet; vel negat dari spiritus malos, cacodaemones. Uterque *adaemonismus* error est, et posterior in *Philosophia* frustra asylum quaerit: cum talium spirituum possibilitas aperta sit. Pertinet vero eorundem existentia ad facta, hinc ad historiam, pro cuius veritate ea adsunt momenta, quae halitu philosophico non diffilantur. Absit tamen, ut hic, aut ullibi patrocinari superstitionibus velim; sed absit etiam, ut quidquam proferam, quod Religionis dogmatibus vel minimum adversetur.

S E C T I O II.

NEXUS SPIRITUUM, SALTEM QUORUNDAM, CUM CORPORIBUS ARCTIOR.

§. 301.

Constat experientia, in quibusdam compositis hujus mundi partibus esse substantias sibi repraesentantes, et hinc spiritus, totumque tale compositum constare ex spiritu, et corpore variis organis instructo; constat item experientia, certis repraesentationibus hujus spiritus correspondere certas motiones in hoc corpore, et vicissim certis motionibus corporis certas actiones, aut passionem, aut utrumque simul correspondere in tali spiritu. Totum hoc compositum Philosophi ad-

pol-

pellant *animal*, substantiam repraesentantem dicunt *animam*, et corpus *suum* istius spiritus corpus, et miram illam consensionem, *commercium*.

Est possibile, et vero admodum simile, dari in hoc universo etiam extra illum, quem nos incolimus, globum, plura composita ex spiritu et corpore, qui spiritus aequae ac corpora a spiritibus corporibusque nobis cognitae diversa sint.

§. 302. Circa istiusmodi composita, in quibus consensio interviationes obtinet, possibile est, ut variationum correspondentium causa effec-trix, sit causa ab his compositis distincta, substantia scilicet infinita, ita quidem, ut existentibus certis motionibus in hoc corpore ipsa producat repraesentationes correspondentes in anima hujus corporis *), et vicissim. Nexus in hoc casu tantus non esset, quantus nobis esse adparet.

Malebranchius non id possibile tantum, sed re ita esse adfirmavit. Opinio haec dicitur *systema adsistentiae*; etiam causam occasio-nalium, sed tamen est hujus tantum adpli-catio ad hunc casum.

(* *To producere* ita sumi non debet, quasi spiritus mere pa-teretur: nequit enim concipi, qua ratione cogito, cog-nosco, *mihi meae cognitionis conscius sum*. sint me-rae passiones: sed hoc sensu, quo *Malebranchius* se ex-plicat: *nihil possunt animae cognoscere, nisi Deus ip-sas illuminet, nihil sentire, nisi Deus ipsas modifi-cet etc.*

§. 303. Item possibile est, ut anima hujus corporis omnes suas repraesentationes ipsa producat, corpus vero eidem a substantia infinita tale aptatum sit, in quo vi structurae mechanicae

variationes correspondentes adcurate sequantur; item, ut tales in corpore motiones vi ipsius structuræ procedant, quibus adcurate respondeant repræsentationes subsequentes, quas easdem anima illa habitura fuisset, licet istae motiones in corpore non præcessissent. Nexus hic iterum tantus non est, quantus in cognitis adparet, sed tamen major illo, quem Malebranchius concedit.

Leibnizius, ita reipsa esse, censuisse dicitur, et *Wolfius* omnino contendit. Opinio haec dicitur *systema harmoniae praestabilitae*.

§. 304. Est possibile, ut anima agat in suum corpus illud ad motiones efficienter determinando, et vicissim possibile est, ut corpus agat in animam, illam suis motionibus determinando, ut ipsa vi sua repræsentationes efficiat, sive: est possibilis *influxus mutuus physicus* inter corpus et animam. Certe ad hanc diem contradictio ostensa in illo est nulla. Et cur spiritus finitus non posset movere monades materiales, et ipse ab iisdem moveri, aut eorum motu qualicumque demum ratione physice adfici? Nexus in hoc casu prioribus multo major, et adparentiae conformior est.

Influxum hunc dari reipsa, contendentes, dicuntur *Influxionistae*.

Dicatur etiam de influxu non mutuo, quem *Tournemine* adseruit.

PARS TERTIA.
PSYCHOLOGIA.
ANTHROPOLOGICA.

PROLEGOMENA.

§. 305.

Psychologia anthropologica, quae est pneumatologiae specialis pars aliqua, est scientia praedicatorum animae humanae generalium.

§. 306. Complexus praedicatorum animae ex experientia cognitorum constituit psychologiam *empiricam*, et ex ratione cognitorum, *rationalem*. Non tamen ad systema requiritur, ut illa praedicata separatis partibus tractentur, quarum una empiricam, altera rationalem constituat; re etiam ipsa talis tractatio incommoda est.

§. 307. Psychologia tractat 1) de facultatibus animae; a) de sensatione; b) de attentione; c) de phantasia; d) de memoria; e) de combinatione; f) de intellectu; g) de voluntate; 2) de natura animae; a) de natura ipsa; b) de duratione animae.

CAPUT I.

FACULTATES ANIMAE.

SECTIO I.

SENSATIO.

§. 308.

Anima nostra continuas subit variationes; si quam ex iis praesentem clare sibi repraesentat, dicitur *sentire*; adeoque facultas sentiendi est facultas sibi clare repraesentandi suas variationes praesentes. Actio ipsa *sensatio* dicitur, vel *interna*, si ratio variationis sit in actione animae; vel *externa*, si ratio variationis non sit in actione animae, sed corporis in animam.

§. 309. Corpus non sentit, sed anima, nam sentire non possumus, quin nobis aliquid repraesentemus; nullum autem corpus sibi repraesentare potest (288); hinc neque sentire.

§. 310. Etsi corpus non sentiat, eodem tamen anima, dum est in corpore, ad sensationes externas indiget; sic non videt, nisi per oculos.

An etiam ad internas sensationes omnes indigeat certis organis corporeis, videtur independere, an in semetipsam agere possit anima, et hac actione sensationem excitare.

Facultas in se ipsum agendi notioni spiritus non contradicit, neque notioni actionis. Omnis dubitatio hac in re oritur ex ignorantio facultatum spiritus finiti, ex ignorantia naturae actionis. Si vero qui animae istam facultatem negant, videntur ex actionibus corporum nimis tuto concludere ad actionem spiritus.

§. 311. Ut sensatio aliqua externa oriatur, requiritur 1) objectum agens in corporis nervos, per quos solos sentit anima, vel per ipsos, vel per *fluidum nerveum* ipsos irradians, quod fluidum etiam venit nomine *spirituum vitalium*. 2) In tales nervos, qui ab isto objecto debite commoveri possunt: materia certe lucis non excitat in auribus sonum, nec vibrationes aëris in oculis auditum. 3) Ut is motus propagetur ad cerebrum, atque in eodem debite attemperatas motiones et impressiones excitet; constat enim experientia, sensum esse nullum, si motio nervorum ad cerebrum non propagetur, atque idem concludi potest, si motus sit nimium debilis. Si vero motus sit nimium fortis, evenire potest, ut anima turbata nihil clare sibi repraesentet, uti contingat in vehementissimis concussionibus epilepticis, adeoque etiam tum non sentiat. 4) Ut iste motus eaque impressio advertatur ab anima: docet enim experientia, animam, alteri objecto intentam, apertis oculis non videre etc.

§. 312. Sensoria nostra externa, quorum quinque numerantur, scilicet *tactus*, *gustus*, *odoratus*, *auditus*, *visus*, distinguuntur inter se 1) ex propriis unicuique nervis, qui nervi et proprias sibi fibras in cerebro habent. Sic aures ab

oculis etc. discrepant. 2) Ex diversitate repraesentationum, quas excitant. Sic aliae repraesentationes ex gustu, aliae, ex visu etc. consequuntur. 3) Ex robore majore. Sic tactus, odoratus et gustus fortius agunt, quam auditus et visus. 4) Ex irritabilitate majore, quae dignoscitur ex subtilitate materiae organum moventis. Sic visus subtilissima materia luminis movetur. 5) Ex distinctione, quatenus nempe per unum sensorium plura in objecto repraesentantur animae, quam per alium. Sic plura per visum repraesentantur, quam per auditum etc. 6) Denique ex sphaera sensationis. Sic visus etiam valde distantia repraesentat, tactus non nisi contingentia nostrum corpus. Verum hoc non ex sensu proprie desumi potest, sed ex proprietatibus luminis objectorumque vi in lumen agente, tum ex continua adsuetudine referendi excitatam in oculis nostris motionem ad illud objectum, a quo lumen reflexum est. Idem est auditu, adeo, ut quatuor sensus in tactum ultimo resolvi possint.

§. 313. Sensus eosdem in diversis hominibus, imo in eodem homine pro diversa aetate, corporis constitutione etc. saepissime diversos esse docet experientia. Sic quod pueris spiaeabat, desipit viris.

§. 314. Perfectio ejusdem sensus desumitur ex amplitudine sphaerae, et ex acumine ipsius sensus. Sensui *acuto* opponitur *hebes*; moderato usu etiam sensus perfici possunt, et immoderato hebetari.

§. 315. Sensatio externa *genuina* dicitur illa, quae oritur ab objecto huic determinato sensui correspondente. E. g. Sensatio colorum
orta

orta ab objecto radios lucis in oculos reflectente. Sensatio *spuria* est, quae oritur ab alia causa organum interius ita commovente, uti solebat objectum, quod prae ceteris contingit in dormientibus et delirantibus.

§. 316. Sensatio, quae oritur ab unico sensu, dicitur *pura*, quae oritur a pluribus, *mixta*. E. g. Sensatio colorum est pura, quia oritur ab unico sensu visus. Sensatio figurarum, magnitudinum etc. saepe est ex tactu et visu simul, et tum est mixta etc.

§. 317. Sensationes mixtae multum differunt a puris. Sic longe aliud de objectis iudicium tulerunt ii, quibus visus restitutus fuit, quam antea, dum illa sensu, e. g. tactus tantum examinaverant. Universim concludi potest, sensationes determinato sensui proprias per alium excitari non posse. Potest tamen sensus unus alterius defectum in rebus ab invicem discernendis supplere, unus alterum, ut dicimus, juvare.

§. 318. Sensatio, quae a nobis in plures resolvi nequit, dicitur *simplex*; quae potest in plures resolvi, *composita*; e. g. sensatio unius coloris, e. g. rubri, est simplex; sensatio iridis composita.

Est quidem sensatio quaelibet externa composita ex pluribus representationibus singularibus, sed non semper in plures a nobis resolvi potest. Quod vel inde videtur satis consequi, quia, quae in nos agunt, corpora diversis suis partibus in diversas organi sensorii partes agunt, a quibus et in diversas cerebri partes motiones propagantur. Anima tamen illa omnia tanquam unum quoddam

dam sibi repraesentat, et saepe aliter nequit. Ex quo etiam patet, in sensationibus multum esse obscuritatis, licet aliqua totalis sit repraesentatio clara.

§. 519. Robur et claritas sensationum externarum 1) desumi potest a magnitudine massae organum moventis. Sic quatuor candelae fortio-rem luminis sensationem excitant, quam earum una tantum. 2) Ex maiore celeritate, qua determinationes ad motum se excipiunt. Sic, quo celerius oscillationes materiae luminis se excipiunt, eo vividior sensatio coloris est. 3) Ex maiore sensus irritabilitate.

Quod nova, et illa, quae maiorem ad nos relationem habent, fortio-rem sensationem excitent, atque alia ceteris paribus, non ex sensoriis, neque ex actione objectorum, sed ex anima ipsa est.

§. 320. Diversitas inter sensationes ejusdem roboris, si quae tales sint, aut si ad diversitatem ex robore non attendatur, potest esse ex speciali modificatione motus. Sic in sensu gustus diversae sensationes dulcedinis etc. possunt esse ex tali diversitate motus.

§. 321. Sensationes externae imminuuntur 1) si nervi obtegantur. 2) Si actio objecti debilitetur. 3) Ipsa consuetudine. 4) Debilitate motus spirituum vitalium in cerebro. Omnino impediuntur 1) si objecti actio tollatur. 2) Si objectum non possit agere in nervos sibi proportionato. 3) Si nervus sit destructus. 4) Si motus non propagetur ad cerebrum. 5) Si conveniens spirituum vitalium motus in cerebro cesset.

§. 322.

§. 322. Sensationes internæ oriuntur ab actione animæ (308) vel in se ipsam, vel in cerebrum. Videntur tamen ante internas sensationes, quas habet ex actione sua in cerebrum, externæ multæ præcessisse: nam, etsi etiam anima prius ageret in corpus ad ejus extensionem promovendam; suarum tamen actionum in corpus claram repræsentationem ante non acquirit, quam varias a suo corpore modificationes subierit, quibus veluti docetur, quaenam variationes corporis suis passionibus et actionibus respondeant. Deinde anima nostra multo ante suum corpus ab aliis corporibus quam se a suo corpore discernit, quod argumento est, ipsam, si etiam in statu unionis in se agat, talis tamen actionis sensationem ante sensationes externas non habere.

§. 323. Sensationis internæ primæ sunt repræsentationes illarum variationum, quas anima immediate in suo corpore producit; has excipiunt sensationes, ex quibus dignoscere incipit illas variationes, quas ope sui corporis in aliis corporibus extra suum positis producere potest.

§. 324. Ex sensationibus internis discit anima et gradum, et directionem virium adplicandarum ad certam in corpore variationem producendam, dum ad hanc ipsam variationem attendit. Sic advertit ad corpus celerius movendum majorem requiri intensionem, et aliam directionem suæ vis, dum manum movet, quam dum linguam.

§. 324. Quo magis augetur numerus actionum animæ, eo etiam magis augetur numerus sensationum internarum, et ex actionibus sæpius repetitis major tam agendi, quam sentiendi facilitas paulatim acquiritur.

§. 326. Interna sensatio, quae est ex actione animae in corpus, est aequè composita ex pluribus singularibus repraesentationibus, atque etiam externa (§. 318.): animae enim actio est in compositum, cujus partes plures admotiones excitat, quam singulae his motionibus et impressionibus inde consecutis totidem ideas materiales efformant; sed has partiales non distinguit anima.

§. 327. Docet experientia, sensationes debiliores obscurari a fortioribus. Hujus ratio tam in anima, quam in natura repraesentationum sita est. In anima; quia ipsius vis finita est. In repraesentationibus; quia fortiores suo lumine praepediunt debiliores, perinde fere sicut lumen solis praepedit lumen stellarum, quo minus sufficientem motionem in oculis excitare possit, qua discernatur.

§. 328. Si quae sensatio ad eum claritatis gradum devenerit, ut conscientia sui obscuretur, ut sui ipsius homo obliviscatur, dicitur talis *extra se raptus*. Si talis status consequatur ex sensationibus internis, dicitur *ecstasis*.

Ecstases tam naturaliter, quam supernaturaliter (249) evenire possunt. In iis dijudicandis duo extrema vitanda sunt, ne singulae in singulis referantur ad *fanatismum*, neque etiam ad miracula. Ante omnia tamen examinandum, an vere contigerint: nimis enim certum est, multas ecstases, sensationumque in illo statu objecta, quae in sic dictis historiis referuntur, vel a simplicibus, vel a calumniatoribus excogitatas esse.

§. 329.

§. 329. Sensationes in eodem claritatis gradu diu non persistunt. Nam continuo variationes in anima succedunt, et hinc repraesentationes, quae vel claritatem principalis repraesentationis augent, vel minuunt. Imo vero ipso tempore minuitur vivacitas sensationis, scilicet novitate decedente.

§. 330. Status sensationum est *vigilia*, sive *vigilo*, dum sentio. Si sensationes cessent, manentibus tamen iisdem fere motibus vitalibus, adest *somnus*. Si motus vitales etiam notabiliter cessent, est *deliquium*. Hi status hominis sufficienter explicati nondum sunt. Ad *vigiliam* tamen videtur requiri certa fibrarum tensio, attemperatus, et non impeditus spirituum vitalium motus in hominibus cetera sanis. *Somnus* inducitur laxitate fibrarum, deficiente motu spirituum, pressione cerebri etc. Si ex statu *vigiliae* in statum *somni* transimus, dicimur *obdormire*, si vice versa, *evigilare*. Dum *obdormire* incipimus, paulatim conscientia sui extinguitur, quae et paulatim redit, dum *evigilamus*. *Transitus* ex *vigilia* in *somnum*, et vice versa, non est sine aliquo delirio.



S E C T I O I I .

A T T E N T I O

§. 331.

Potest anima repraesentationes alias aliis clariores facere. Facultatem hanc adpellamus *facultatem attendendi*, quam anima aequae circa internas atque externas sensationes exercere potest. Si circa internas eandem exerceat, dicitur *attendere ad se*,

§. 332. Facultas attendendi in statu unionis ita dependi a corpore, ut actionibus corporis interdum omnino impediatur, quandoque irritetur, et ab uno objecto ad aliud traducatur, etiam invita anima. Saepe tamen eadem sponte hanc facultatem exercet.

Si omnino impeditur facultas, anima mere patitur; si irritetur, hanc irritationem etiam patitur; dum attendit, ipsa etiam agit. Haec tamen actio saepe extorta est. In attentionibus magis liberis anima in statu unionis conari debet, ut certas motiones et impressiones in cerebro conservet, quod vel inde patet quia intensionem et longiorem attentionem dolores capitis consequuntur. In dijudicanda igitur in statu unionis hac facultate praeter actionem animae considerari debent motus spirituum vitalium, et impressiones in cerebro excitatae.

§. 333.

§. 333. Motus spirituum vitalium vel est 1) ordinatus impressionibus correspondens, aut inordinatus, dum spiritus aguntur celeritate inaequali, ac directione inconvenienti. Vel 2) motus est vividus, aut debilis, aut vehemens. Si motus spirituum fuerit ordinatus et vividus attentio facilis est, et repraesentationes clarae. Si fuerit ordinatus et debilis, attentio difficilis est, repraesentationes tamen clarae, nisi motus fuerit nimis debilis. Si motus sit ordinatus et vehemens, anima violente rapitur ad objectum contemplandum, atque ad alia attendere nequit; objecti autem illius repraesentatio est vivida. Si motus sit inordinatus et vividus, attentio cita est et brevis, repraesentatio autem confusa. Si inordinatus et debilis, attentio distrahitur, et repraesentatio est obscura. Si denique motus sit inordinatus et vehemens, perturbatur anima, atque in quandam insaniam incidit, in qua phantasmata a sensationibus non discernit.

§. 334. Impressiones in cerebro excitatae, si simul nimis multae sint, attentionem distrahunt; si successivae se nimis celeriter excipiant, anima attentionem nequit sufficienter figere. In utroque casu repraesentationes imperfectae sunt. Scilicet: pluribus intentus minor est ad singula sensus. Impressiones, quae valde gratae, aut ingratae sunt, praesertim si novae, aut inexpectatae attentionem magis excitant, atque aliae.

§. 335. Per attentionem repraesentationes redduntur clariores: per ipsam enim fit, ut plura repraesententur in objectis; hinc distinctio faciliior sit. Verum dum repraesentationes quaedam clariores fiunt, aliae obscurantur; facere,
ut

ut repraesentio clara reddatur obscura, est *abstrahere*. In omni igitur nostra attentione est etiam a quibusdam abstractio, et attentio abstractionem, abstractio attentionem promovet.

Estne abstractio sensu jam explicato sumpta singularis actio animae? R. Videtur tantum esse consecrarium attentionis in anima nostra limitata.

§. 336. Perfectiones attentionis desumuntur 1) ex facilitate. Hanc, si aliud non obstet, conciliat sibi anima repetito exercitio. 2) Ex extensione, quae in eo consistit, quod anima plura simul sibi clare repraesentare possit. 3) Ex intensione, quae in eo sita est, quod anima sibi aliquid in majore claritatis gradu possit repraesentare. 4) Ex continuatione, dum per longius tempus attendere potest. Non est harum perfectionum ratio in sola anima quaerenda, sed pro statu unionis etiam in dispositione cerebri.

Facultas, sive habitus cum attentione sentiendi, dicitur *spiritus observator*.

§. 337. Attentio per singulas alicujus objecti partes traducta dicitur *reflexio*. Oritur haec tum ex successione sensationum, tum etiam ex actione animae in cerebrum.

§. 338. Si anima jam ad hanc, jam ad illam sensationem reciprocè attendat, oritur *comparatio*. Ante comparisonem supponitur, jam aliquid discriminis esse animadversum, etsi illud etiam in solo tempore reponendum esset. Comparatione adquiruntur repraesentationes clarae identitatum, atque etiam ulteriorum discriminum.



S E C T I O III.

P H A N T A S I A.

§. 339.

In anima nostra rerum perceptarum repraesentationes, etiam dum res illae absentes sunt, quandoque iterum excitantur. Hanc actionem *imaginationem*, etiam phantasma dicimus, et facultatem repraesentationes reproducendi, *facultatem imaginandi* sive phantasiam.

§. 340. Per repetitas saepius sensationes fibræ cerebri inducitur *dispositio* ad similes motus repetendos, quos excitabat ante actio objectorum. Anima vero exercitio paulatim discit similes motiones in cerebro resuscitare, discit sponte imaginari.

§. 341. Motiones in cerebro resuscitari possunt similes iis, quæ ante ab objecto hoc determinato excitabantur, etiam ab aliis objectis externis in corpus agentibus, a motibus internis corporis, a concitatore fluxu sanguinis, a motu spirituum vitalium etc. si scilicet jam fibræ dicta §. præc. dispositio inducta fuerit.

Si complexum illorum, quæ in cerebro requiruntur, ut phantasia haberi possit, *phantasiam mechanicam* dixeris, magis proprie loqueris, quam si his terminis simul actionem animæ comprehendas.

§. 342.

§. 342. Ordo, confusio, vivacitas, debilitas imaginationum praesentium dependent a motionibus praesentibus cerebri, sive ab ideis materialibus, vel ab anima ipsa, vel aliunde excitationis, id multi casus docent. Conf. §. 333. et paucis mutatis hic applica.

§. 343. Facilitas, praeterquam, quod ad illam conferat naturalis aliqua cerebri dispositio, etiam exercitio conciliatur, quo etiam obtinetur phantasmatum major claritas. Ordo ab ordine, quo res ante sensae, et quo postea repraesentationes reproductae sunt: per sensationes enim, et reproductiones fibrae cerebri ad istiusmodi motiones determinatae sunt; adeoque etiam ad illas hoc potius, quam alio ordine postea exhibendas. Atque hinc est, quod recurrente idea una materiali, recurrat et altera, quae cum priore connexa erat, quod adpellant *legem phantasiae*. Vivacitas est a vivacitate sensationum, a vivacitate repraesentationum reproductarum, a natura objectorum, unde impressiones primae ortae sunt.

§. 344. Phantasmata, quae respondent sensationibus, sive, quae res ita referunt, uti sensae erant, sunt *vera*; quae aliter, sunt *falsa*, *vana*; si habitus vana phantasmata formandi adsit, est phantasia effrenis; si vera formandi, est phantasia *subacta*.

§. 345. Phantasmata a sensationibus differunt gradu claritatis; hae enim ordinarie fortiores sunt phantasmatis: nam objectum praesens tota actione sua, qua in nervos agit, magis commovet fibras cerebri, quam eodem absente ordinarie ab anima, aut alia causa, intra corpus, vel cerebrum existente, eadem fibrae commoventur.

Sic

Sic ignis digito adplicatus fortiorem repraesentationem excitat, quam si idem postea phantasmate reproducatur. Adde novitatem repraesentationis ex sensatione, item circumstantias, quae sensationem antecedunt et comitantur, non ita phantasia. Ex his simul cognosci potest, cur phantasia fortius operetur cessantibus sensationibus, quam iisdem praesentibus.

§. 346. Si in dormientibus phantasia operetur, oritur status, quem *somnium* dicimus. Potest *somnium* excitari tam per causas externas, quam per motiones internas corpori, imo et per actiones animae, cum in his omnibus possit esse ratio excitatae commotionis in fibrillis cerebri, et restauratarum idearum materialium.

§. 347. Vivacitas et duratio somniorum a constitutione cerebri motuque fibrarum, aut spirituum vitalium fortiore et diuturniore dependet. Si phantasmata fuerint valde vivida et tenacia, consequi possunt tales motiones corporis et actiones, quales ab homine vigilante diliberate fuissent exercitae; in quo id maxime mirandum, quod a somniantibus ea quandoque peracta sint, quae singularem adplicationem facultatum animae intensumque studium in vigilante requirunt. Quae tamen ordinarie in somniantibus sunt phantasmata, repraesentant series idearum, quales totae in vigilante nunquam fuerunt.

§. 348. Somnia cessant, vel cessantibus motionibus in cerebro, quo casu restituitur somnus profundus, vel per sensationes sive externas, sive internas, quae sua claritate somnum dissipant vigiliamque reducunt.

§. 349. Etiam in vigilante ad eum claritatis gradum phantasmata pervenire possunt, ut eadem a sensationibus distinguere anima nequeat; qui status a statu somniantis parum differt, nisi quod somnians, non sit vigilans. Si hoc obtineat tantum circa unam alteramve ideam, est *delirium minus plenum*. Potest hoc oriri ex nimis facili et vivido cortarum fibrarum motu, vel etiam ex nimis forti impressione ideae alicujus materialis, qua factum, ut motus spirituum vitalium eo maxime dirigatur etc. Si generatim phantasmata a sensationibus vigilans distinguere nequeat, adest *delirium plenum*, quodsi ad altiorem gradum pervenerit, ita, ut consequantur vehementiores corporis commotiones, *insania* est, furor, *mania*. In hoc statu phantasmatum confusorum ingens copia animam agitat, potestque eo excrescere vehementia commotionum in cerebro, ut ad commotiones ab objectis externis in organis sensoriis excitatas anima non advertat, etsi illae satis validae fuerint. Istiusmodi vitia phantasiae aequae possunt ab anima ipsa induci, dum scilicet certis phantasmatibus pertinacius insistendo fibras nimium tendit, nimis faciles ad motus reddit, inordinatum spirituum motum efficit, fluxum sanguinis concitatiorem, aut nimis tardum reddit, etc. ac paulatim naturalem totius cerebri dispositionem a causis intra corpus existentibus, quarum proxima semper est in cerebro, remotiores etiam in ventriculo, aut in intestinis esse possunt.

Quae circa phantasiam mirabilia contingere, philosopho argumento esse non possunt ad elevanda miracula insensibilitatis martyrum Christi inter crudelissima tormenta; si enim

considerentur circumstantiae personarum cuiusque sexus, conditionis, aetatis etc. cognosci omnino debet, lusum istiusmodi naturalem hic locum non habuisse. Aut an forte etiam aliquis ad vim phantasiae referet, ignem non potuisse adurere corpora, corpora etiam lapidibus molaribus onerata non potuisse submergi, leones famelicos deposita omni ferocitate se ad martyrum pedes adiecisse etc.

 S E C T I O IV.

M E M O R I A.

§. 350.

Si repraesentationes per phantasiam reproductae cognoscantur esse reproductae, sive esse tales, quales olim fuerunt, dicitur anima meminisse, et facultas ita recognoscendi *memoria*.

§. 351. Saepe eadem resuscitantur repraesentationes, quas olim anima habebat, quin ipsa meminerit, se eadem habuisse; unde ad memoriam plus aliquid requiritur, quam ad phantasiam: sed tamen sine phantasia memoria non est in statu unionis.

§. 352. Ut anima nostra aliquid *memoriae mandare* possit, requiritur ex parte cerebri *receptivitas*, et ex parte animae attentio.

§. 353. Receptivitas cerebri ex recte ordinata ejusdem constitutione, ac debita temperatura est.

Cum

Cum contra inordinata constitutio ejusdem, nimia durities et nimia mollities eidem obsint.

§. 354. Quatenus memoriae mandare ab attentione animae dependet, promovetur hoc ipsum per expeditiorem animae facultatem attendendi agendique in cerebrum, per habitum certas ideas tractandi, per inclinationem animae majorem ad certas ideas.

§. 355. Inter objecta mandantur illa melius, quae impressiones excitant simpliciores, quam quae magis compositas; quae distinctas, quam quae confusas; quae vividas, quam quae debiles: priores enim impressiones et rectae constitutioni cerebri, et attentioni animae aptiores sunt, ac posteriores.

§. 456. Quo major receptivitas cerebri, eo memoria major. Consistit autem magnitudo, aut vastitas memoriae in facultate multa et prolixa memoriae mandandi. Cum moderatum exercitium hanc facultatem, et ipsum cerebrum magis perficiat, vastitas memoriae etiam animae actionibus augeri potest.

§. 357. *Promptitudo* in mandando memoriae est ex promptitudine fibrarum cerebri ad motiones et impressiones recipiendas, et ex iis, quae §. 354. recensita sunt.

§. 358. *Firmitas* aut *tenacitas* memoriae, quae consistit in duratione longiore, qua ideae retinentur, habetur 1) ex eo, quod aliquid memoriae melius mandatum sit. Scilicet, quo alius impressum, eo tenetur diutius. 2) Ex ordine meliore, qui observatus est, dum res memoriae mandabantur. 3) Ex vivacitate et distinctione rerum mandatarum. 4) Ex crebra repetitione. 5) Ex

meliore connexiore cum ideis aliis; sit enim tunc, ut aliqua ex his recurrente et prior recurrat. Firmitati innititur *fidelitas* memoriae, quae consistit in eo, quod illa, quae cognita aliquando fuerunt, ita recognoscantur, uti tum cognita fuere.

§. 359. Defectus memoriae ex oppositis virtutibus dignosci possunt, et uti plures perfectiones in eadem memoria concurrere possunt, sic et plures imperfectiones: potest esse memoria prompta, sed minus tenax, potest esse nec prompta, nec tenax; potest esse difficilis, sed tamen tenax, etc. Tenacitati speciatim opponitur *obliviositas*, et fidelitati error, sive *lapsus* memoriae, si scilicet in seriem idearum reproductarum vel introducatur aliena, vel ex eadem serie omittatur aliqua. In oblivione contingere potest, ut animae observetur, se ideam quandam aliquando habuisse, quin eam jam possit ut talem recognoscere; vel ut omnino conscia sibi non sit, se talem ideam aliquando habuisse, hoc ultimum adpellant aliqui *non reminiscentiam*.

§. 360. Si anima alicujus recordetur, 1) conscia est sibi, se repraesentationem illam olim habuisse. 2) Eandem a sensatione discriminat. Primum est a memoria, alterum a discrimine inter ipsas repraesentationes (345).

§. 361. Memoria vel suscitatur ab anima ipsa, vel a corpore. Ab anima, dum ipsa suo influxu fibras cerebri commovet, atque hac motione impressionem memoriae renovat. A corpore, dum vel repetitur sensatio olim habita, vel dum motu fibrarum, aut spirituum vitalium impressio memoriae renovatur.

§. 362. Omnis recordatio ususque memoriae cessat in illis casibus, in quibus cessat conscientia sui. Item supprimitur memoria per omnes illas causas, per quas impressiones memoriae delentur, cerebrumque ineptum redditur ad motiones prioribus similes suscipiendas.

An memoria constituit personalitatem? Resp. Non videtur, ceteroquin desinerem esse eandem persona dorminens, quae eram vigil. Ut tamen sciam, me esse eundem, qui fui ante, necessaria est memoria.

S E C T I O V.

C O M B I N A T I O I D E A R U M.

§. 363.

Anima nostra jungit repraesentationes tam quas habet ex sensu interno, quam quas habet ex sensu externo, et utrasque simul. Facultas jungendi ideas dicitur *facultas combinandi* easdem.

§. 364. Combinantur ideae vel *compositione*, dum plures partiales veluti in unam coeunt, e. g. dum repraesentationes indicis, rotularum, laminae elasticae, perpendiculi etc. coeunt in hanc unam, quam nomine horologii signamus. Vel *adsociatione*, dum singulae non coeunt in unam totalem, sed tamen invicem connexae sunt; e. g. dum ideae fulguris adsociatur idea tonitru.

§. 365. Compositio quatenus in objectis habet rationem, oritur inde, quia constant partibus

simul junctis, quae in hac conjunctione in organa sensoria egerunt. Quatenus est in sensibus, est ipsa inde, quia, cum plura in ipsis objectis simul insint, sensus licet ipsi diverli diversimode, adficientur, illa tamen omnia, aut eorundem rationes in uno eodemque objecto contenta referunt. Sic color, dulcedo, durities, liquabilitas etc. coeunt in unam ideam sacchari. Quatenus in cerebro est ratio, est, quia motiones, aut impressiones ab objectis excitatae, aut simultaneae erant, aut si successivae, tamen ab eodem objecto profectae sunt. Quatenus denique compositionis ratio est in anima, est ipsa 1) in attentione, qua detexit, illas in corpus suum actiones provenire ab objecto, cujus partes conjunctae sunt. 2) Etiam in actione, qua anima ipsa componit in unam ideam totalem, quae per partiales sibi repraesentaverat. Sic oritur idea totalis alicujus dramatis, orationis, imo integrae scientiae. Ad hujus praesertim generis compositiones phantasiam et memoriam requiri patet.

§. 366. Augetur idearum compositio repraesentatione objectorum; quo enim saepius cum eodem objecto anima se occupat, eo plura in eodem detegit. Hinc est, quod, qui certam artem diu tractavit, multo magis compositam de ea arte scientiam habeat, atque alius. Et nunquid crebra conversatione magis compositam hujus determinati hominis ideam nanciscimur, atque ante habebamus.

§. 367. Adsociatio a compositione non multum differt, ita ut de multis compositis ideis, si non de omnibus, verum sit, quod ex ante adsociatis compositae factae sint, unique vocabulo
sub.

substratae. Adsociantur ideae 1) ob coexistentiam, sive quoad locum, sive quoad tempus. 2) Ob successionem propriam. 3) Ob similitudinem, quam habent inter se. Quod autem ideae illae ita etiam postmodum consociatae adpareant, phantasiae tribuendum, et, quod recognoscantur, memoriae.

§. 368. Non in omnibus hominibus, neque omnium idearum aequae facilis est adsociatio. Ratio hujus et in hominibus ipsis, et in ideis est. In hominibus, est ex diversitate cerebri; et ex diversa tum naturali, tum acquisita capacitate animae; animam enim paulatim in adsociationem potestatem aliquam exercere arguitur ex arbitrariis illis combinationibus, in quibus ipsa sponte, et studio connectit talas ideas, quales per sensum ita connexas nunquam obtinuit. In ideis, sita est in earundem dissimilitudine.

§. 369. Inter adsociatas ideas saepe una, aut altera praedominatur, quae scilicet inter reliquas facillime excitatur, et in majore claritate adparet, et ex qua prae reliquis anima solita est se ad agendum determinare. Adpellatur haec idcirco idea *dominans*. Ideo *praeplacens* est, quae inter adsociatas animae, quoties recurrit, maxime grata est. Ideae praeplacentes facile dominantes fiunt; sed non omnis dominans est ideo praeplacens.

§. 370. Adsociatio idearum praecipua et maxime utilis est signorum et signatorum, et inter haec vocabulorum, et rerum per vocabula significatarum. Si semel certis significatibus signa adfixa fuerint, animae liberum non est, signi idea recurrente aliam adsociare, quam ideam signati. Verbis te offendentibus adsocia ideas, quas vo-

lue-

lueris, id nunquam impetrabis, ut non continuo adsit idea significatus, quo offenderis.

Facultas signandi, facultas *characteristica* dicitur.

Quaeri hic incidenter potest: quaenam naturalis origo linguarum; quae perfectiones linguae; quantum linguae conferant ad perficiendas scientias, et vice versa, quantum scientiae ad linguarum perfectiones?


§. 371. Series idearum adsociatarum multiplicantur crebris sensationibus, attentione, usu linguae, lectione et conversatione cum hominibus etc.

§. 372. Idea *principalis* alicujus seriei non semper primo excitat reliquas; sed saepe etiam minima data occasione, vocabulo unico aliquantum adfini, unica syllaba, tono uno, unica motione cerebri integrae series resuscitantur; inter illas tamen ideas, quae facillime et saepissime excitantur, sunt dominantes et praeplacentes.

§. 373. Nunquam una idea apud hominem solitaria et inconnexa est, sed semper sunt series idearum, et hae inconnexae non sunt. Totum repraesentationum nostrarum systema comparari potest fluvio continenter decurrenti, cujus undae quandoque citius, quandoque lentius, jam cum tumultu, alias lenter, nunc ordinate, nunc inordinate deferuntur.

§. 374. Major ordo inter adsociatas tum ideas, tum earundem series obtinetur a bene ordinata phantasia, ab attentione accuratiore ad similitudines, meditatione et studio rationum et ratiatorum, causarum et effectuum qua talium, et nexuum majorum etc.

An crebra earundem idearum repetitio etiam ordinem conciliat? Resp. Id ipsi utique videbitur, cui ob crebram repetitionem jam ordine eadem ideae suscitantur. Verum repetitio per se non faciet, ideas etiam ex alia natione esse inter se coordinatas.



S E C T I O VI.

I N T E L L E C T U S.

§. 375.

Anima nostra multa sibi repræsentat, quæ ex sensatione et phantasia immediate non habet. Docent hoc multa, quæ in compositione atque adassociatione idearum nostrarum occurrunt. Facultas sibi talia repræsentandi, quæ immediate ex sensatione et phantasia non sunt, et *intellectus*.

§. 376. Neque sensus, neque phantasia animæ nostræ quoddam commune exhibent: quæ enim in sensus nostros agunt, singularia sunt, et phantasiæ motiones etiam singulares sunt. Communia tamen sibi repræsentat anima, sive format notiones, has igitur intellectu format.

§. 377. Ut anima notiones formare possit, indiget signis, quorum singula ea denotant, quæ in rebus diversis sæpius occurrunt. Signa aptissima sunt vocabula.

Similitudo motionum in cerebro excitatarum occasio est animæ, ea uni vocabulo subjiciendi,

di, quae motiones similes excitarunt. Ut tale vocabulum retineat, indiget jam phantasia.

§. 378. Facultas omissis notis propriis singularium rerum, sibi notas communes qua tales repraesentandi, est *facultas abstrahendi* sensu proprio sumta. Conf. §. 335.

§. 379. Ad notiones formandas requiritur attentio, reflexio, comparatio (337.) et abstractio. Quare intellectus noster cognoscitur esse facultas composita ex illis quatuor.

Attendere et reflectere ad notiones est *meditari*.

Quoniam illis quatuor animae operationibus obtinentur cognitiones clarae variorum, quae in ideis atque ipsis etiam notionibus insunt, ab aliis intellectus dicitur *facultas distincte cognoscendi*, facultas cognoscitiva *superior*, et quaevis cognitio distincta, *intellectualis*. Contra cum illa, quae immediate per sensus et phantasiam repraesentantur, nondum statim resoluta sint, atque hinc confuse repraesententur, facultas per sensum et phantasiam immediate cognoscendi facultas *sensitive*, *confuse* cognoscendi, facultas cognoscitiva *inferior*, et ipsa cognitio ita orta *sensitiva*, *confusa* adpellatur. Verum intellectus noster saepe operatur, nec tamen parit cognitionem distinctam, imo essent respective paucae operationes nostri intellectus, si non aliam, quam distinctam cognitionem ab hac facultate expectare deberemus.

Intellectus noster in se non est quid distinctum a facultate cognoscendi animae humana-

manae, sed est ejusdem facultatis major gradus. Quodsi tamen discrimen aliquod faciendum sit, id poterit desumi ex diverso modo, quo anima cognitiones acquirit. E. e. Quae cognitiones immediate ex sensu et phantasia adquiruntur, possunt dici *sensuales*, sensitivae, et quae ex iis non immediate adquiruntur, sed ad quas posteriores animae actiones requiruntur, spirituales intellectuales. Atque ex diversitate harum cognitionum potest etiam tum facultas cognoscendi relate ad priores dici sensitiva, relate ad posteriores intellectualis, sive intellectus.

§. 380. Omnis cognitio nostra, ad quam producendam sensus et phantasia immediate non sufficiunt, est ab intellectu; sed non omnis, ad quam sensus et phantasia sufficiunt, ideoque dici potest ab intellectu non esse. Omnis cognitio, quae oritur resolutione conceptuum, aut comparisonem, aut abstractionem ab intellectu est, adeoque et omnis cognitio relationum, qua talium, omnis cognitio veri et falsi, pulchri et deformis, sublimis, abjecti etc. et omnis moralitatis ab intellectu est.

§. 381. Intellectus, quatenus in investigandis cognoscendisque rerum nexibus versari potest, dicitur *ratio*. Si ratio dicatur facultas detegendi relationem inter duo ope alicujus tertii, sumitur sensu strictissimo; in utroque tamen sensu ad intellectum pertinet.

Rationabile est id, ad cujus nexum videndum datae rationis vires sufficiunt. *Irrationabile* est, ad cujus nexum videndum rationis vires non sufficiunt, si omnino nullius rationis,

est

est absolute irrationabile, sive *contra rationem*; si vero hujus, aut illius, est relative irrationabilis, sive *supra datam rationem* positum. *Rationale* et *irrationale* dicuntur de subjectis.

§. 382. Facultas cognoscendi relationes rerum facultas judicandi, *judicium* dicitur. In judicio, quatenus actus est, praeter combinationem, aut separationem idearum, adest convenientiae, aut disconvenientiae cognitio, quae nequit esse, nisi ab intellectu.

§. 383. Facultas similitudines detegendi dicitur ingenium. Cum similitudines sint relationes, ingenium ad judicium pertinet. Facultas dissimilitudines detegendi *judicium discretivum* adpellatur.

Ingenium *vulgare* dicimus illud, quod tantum ad obvias similitudines, *acre*, *subtile*, quod ad reconditas et aptiores detegendas valet. *Superficiarium* ingenium est, quod apparentes similitudines praecipue captat, ibique similitudines esse putat, ubi nullae, aut non tales, aut non in tali gradu sunt. Ingenium *satiricum*, *mordax*, est illud quod facile, est ad detegendas tales, ac tali modo proponendas similitudines, quibus; aut quo modo alius pungitur. Celebre est responsum Anacharsis Scythae, quod petulanti Graeco ipsi patriam objicienti dedit: verum est: Scythasum: patria mea mihi tantum honoris parit, quantum tu tuae.

Quibusdam ingenium dicitur facultas ideas ita combinandi, ut iis combinationibus excitetur. Istiusmodi combinationes utique

que sunt foetus ingenii: sed an non ingenium nimis restringitur, si his tantum adligetur?

Inter *ridicula* et *risu dignum* est aliquod discrimen, sed non facile adsignabile. Aliqui id ridiculum dicunt, quod tantum ad risum commovet; id vero risu dignum, quod *indecens* est, et simul ridiculum, quodque excitat risum cum contemptu mistum. Combinationes, quae risum excitant, nonnemo ad has tres classes reducit: 1) quae admodum mirabiles sunt, aut absurdae. 2) Quae insolitae et inexpectatae, sed neque mirabiles, neque absurdae. 3) Si personae, aut actiones, quae jam ante nobis ridicula erant, ad vivum, ut dicimus, et ex proposito, illas ridiculas faciendi, depinguntur, aut simulata seriositate, et ironice proferuntur. Exempla legere est apud Comicos.

Unde est, quod illud, quod uni ridiculum est, alteri non sit, et quod hodie tale est, non sit cras; universim: unde est, quod ridicula in effectibus suis adeo incerta sint? Nunquid certa ratione ridiculum est, de ridiculo tam parum certi dici posse?

§. 384. Facultas perfectiones imperfectio-
nesque detegendi, adpellatur *facultas dijudican-
di*, *gustus* in sensu latiore. Si adsit habitus de-
tegenderi perfectiones et imperfectiones veras, di-
citur *gustus purus*. Puro opponitur *corruptus*.

Cum plehritudo et deformitas; sublimitas et humilitas; granditas et exilitas etc. perfectiones et imperfectiones sint, facultatis hujus objecta sunt.

Fit discrimen inter pulcrum sensuale etc. et intellectuale; sed ipsum pulcrum sensuale dijudicari nequit, nisi ab intellectu, ita, ut, ubi intellectus non est, nulla sit cognitio pulcri, aut deformis. Universim, quidquid venit nomine iudicii, e. g. iudicium sensuum, aurium, oculorum, linguae, sive saporis etc. intellectum supponit (382); adeoque multo magis dijudicatio.

§. 385. Faculas *praevidendi* est facultas cognoscendi statum futurum ex praesenti, aut praeterito. Praevisiones vel sunt ex nexu clare cognito inter statum praesentem, aut praeteritum, et futurum, qui nexus vel ex rebus ipsis cognoscitur, vel ex experientia, qua detectum, eventus tales se semper, aut saepius subsequi solitos esse. Ejusmodi praevisionum veritas dependet a veritate nexus, ipsaeque aliud non sunt, quam conclusiones, et iudicia illata ex statu praesenti, aut praeterito, quatenus cum futuro connexus est. Vel praevisiones non sunt ex nexu clare cognito, et adpellantur *praesagia*. E. g. Si quis ex somnio arguat illa, quae ipsi eventura sunt. Si praesagia sint circa illa, quae saepius se exceperunt, dicuntur *expectationes casuum similium*. E. g. Dum viso fulgure statim expectamus tonitru, quin ad nexum reflectamus. In praevisionibus enim phantasia operatur, magis tamen in posterioribus, quam in primis.

§. 386. Facultas *divinatrix* naturalis, sive connata, sive acquisita, non videtur apud homines obtinere. Facta, quae pro eaden adferuntur, vel sunt sublestae fidei, vel aliam rationem faci-

le admittunt, quam quod antecederet spiritu divinatorio praevisa fuerint.


Ad hanc facultatem probandam quidam recurrunt ad certas fibras cerebri divinationibus prae reliquis destinatas, ad certum gradum caloris in cerebro, ad certam celeritatem motus spirituum vitalium, aut denique ad subjectivam capacitatem animae. Verum haec imprimis nequit in alio reponi, nisi in facultate videndi nexus inter praesentia, aut praeterita, et futura; multa autem ex factis, quae referuntur, talia sunt, ut inter illa, quae praesentia erant, et quae subsequutura praedicebantur, nexus esset nullus, e quo secutura potuerint ab homine praevideri. Deinde cerebrum vel tantum ex sensorio aut jam, aut alias commoto ortas, aut repetitas motiones exhibet, vel si omnino novae sponte exsurgant, aut fibra quaedam, quae nunquam adhuc sufficienter fuisset commota, inciperet moveri, anima, etsi sciret, sibi aliquid exhiberi, nesciret tamen, quid exhiberetur, neque hoc ipsum posset signare. Ex quo etiam consequitur, illos somniare, qui adserunt naturaliter evenire posse, ut homo linguam peregrinam, quam nunquam didicit, subito incipiat loqui ob constitutas in motu fibras cerebri huic linguae respondentes.

Donum propheticum supernaturale est possibile (249). An ipsum aliquando homini concessum fuerit, ex factis. hinc ex historia, debet probari.

Quid

Quid sentiendum de facultatibus *analogis* intellectus, aut rationis, quibus illae nostrae actiones tribuuntur, quas quandoque sine reflexione, et clara conscientia ita exercemus, ut similes sint actionibus ex usu intellectus profectis? Resp. 1) Phantasiae in multis ob combinationem idearum reproductam plurimum tribuendum. 2) Adusuetudini ita cogitandi et agendi, qua fit, ut anima minus attendat, adeoque et minus reflectat. 3) In subitis et in exspectatis casibus majori animae habilitati, et fidelitati phantasiae, ex habilitate habet anima imperium magis expeditum in corpus, phantasia fidelior repraesentat ideas magis connexas, quales scilicet erant, dum intellectu et ratione cum conscientia clara utens anima easdem combinaverat. Quae igitur adpellantur facultates analogae, reipsa ab enumeratis hucusque facultatibus distinctae non sunt; sed sunt quarundam ex ipsis illis facultatibus adplicationes, ad quas aliae aut omnino non, aut non ita concurrunt, uti fit, si cum conscientia clariore, majore attentione et reflexione operamur. Quod inde videtur argui posse, quia, si quis in usu intellectus eum gradum perfectionis consecutus fuerit, ut in subitis et inexpectatis casibus cum conscientia clariore aptiora et magis connexa cito noscat arripere, non hoc facultati cuidam intellectus et rationis analogae, sed ipsi intellectui et rationi magis exercitatae et perspicaciori tribuimus, dicimusque talem pollere *praesentia spiritus*.

§. 387. Intellectus, uti et reliquae facultates in diversis hominibus diversus est; alius felicior, alius instructior instructus est; alius aptior ad hoc genus artium et studiorum, alius ad aliud; alius in novis multumque reconditis mire facilis, alius in inveniando tardior, in limando et disponendo solers; rarus, cujus intellectus in eminentiore gradu sufficiat reconditis, magisque abstrusis in quavis scientia pervestigandis, ac perspicendis. Discrimen hoc ex multis causis repetendum: 1) ex corpore et ejus organisatione, reliquisque dispositionibus, ac praesertim cerebri; hinc etiam ex alimentis et climate. 2) Ex institutione et adfectione erga certa objecta, ex exercitio. 3) Ex subjectiva capacitate majore, aut minore animarum. Quod rari sint, vel nulli, qui in quavis arte et disciplina eminentes sint, non tantum ex limitatione intellectus humani, sed etiam ex aliis causis provenit.



S E C T I O VII.

V O L U N T A S.

§. 388.

Potest anima nostra suis repraesentationibus irritari, incitari ad ultiores actiones suscipiendas; adeoque in anima nostra admitti debet *irritabilitas* aliqua, quae cogitari potest ante omnem conscientiam, estque in animae natura fundata. Debet etiam admitti facultas, se ex suis reprae-

sensationibus ad superiores actiones determinandi, et haec est *voluntas* in sensu lato.

Illam substantiam dicunt gaudere *spontaneitate*; quae semetipsam ad actiones determinare potest; habet igitur et anima nostra spontaneitatem.

§. 389. Facultas cognoscendi, et facultas volendi in nobis arctissime connexae sunt, ita, ut prior sine altera vel nullius, vel saltem exiguae esset utilitatis; posterior sine priore activa non foret.

§. 390. Per repraesentationes incitatur anima nostra ad volendum, sive illae sint sensationes externae, sive internae, sive cognitiones intellectuales. Non tamen quavis repraesentatione ita irritatur anima, saltem hujus non sumus nobis in quavis repraesentatione conscii: quibusdam praesentibus ipsa ad volendum se non determinat, *indifferens* manet.

§. 391. Si ad nos ipsos attendamus, deprehendimus, animam nostram se ad volendum determinare ex repraesentationibus, quae ipsi gratiae, aut ingratae sunt. Hae possunt esse vel sensuales, vel intellectuales.

Facultas percipiendi gratum et ingratum est *sensibilitas* animae.

§. 392. Perfectionum tam animae ipsius, quam objectorum repraesentationes sunt animae gratiae, imperfectionum ingratae. Status animae ex repraesentationibus gratis orta est *voluptas*, ex ingratis *taedium*. Objecta repraesentationum primarum *placent*, secundarum *displicent*.

§. 393. Perfectiones animae in perfectionibus facultatum ipsius sitae sunt, et harum perfectiones in multitudine et magnitudine actionum, ad quas sufficiunt, in facilitate et celeritate, qua peraguntur. Perfectiones objectorum ex ipsis, et ex relatione, quam habent ad nostrum statum, dijudicari debent.

§. 394. Certae dispositiones corporis vel faciunt, ut anima vim suam magis extendere, et facilius operari possit, aut ipsae tales sunt: ut motiones in cerebro magis proportionatae, animaeque magis adcommodatae sint; vel sunt dispositiones oppositae. Priores causant voluptatem *sensualem*; posteriores taedium sensuale, *dolores corporis*. Voluptates, quae in sensibus corporis et phantasia immediate rationem non habent, sunt *spirituales, intellectuales*, et oriuntur ex cognitionibus intellectualibus, uti et taedia, ac *dolores animae*.

§. 395. Voluptas, quae aut mere esset sensualis, aut mere intellectualis, dicitur *pura*; quae partim sensualis, partim intellectualis, est *mixta*; idem intellige de taedio. In statu unionis, si non omnes, certe plurimae nostrae voluptates et taedia mixta sunt.

§. 396. Perfectiones vel verae sunt, vel adparentes: ex utrisque repraesentatis oritur voluptas; sed consecutaria verarum voluptatum nunquam sunt taedia. Adparentium, si detegatur falsitas, taedia sunt, et hinc illae voluptates adpellantur *fallaces*.

§. 397. Summa perfectionum verarum, eandemque magnitudo est id, ex quo dijudicamus *felicitatem*; ipsa tamen subjective spectata

est voluptas animae, qua ipsa in cognitione verarum suarum perfectionum perfunditur; ipsae perfectiones cognitae sunt rationes immediatae felicitatis.

Solae substantiae intellectu praeditae felicitatis capaces sunt: ipsae enim solae perfectiones qua tales, veritates qua tales cognoscere possunt.

§. 398. Cum id bonum (*objective tale*) dicamus, quod aptum est ad perfectionem enti conciliandam, aut augendam; malum vero, quod perfectionem aut tollit, aut imminuit; omne bonum hominis, ut tale cognitum, pertinet ad objecta, quae placent, et omne malum, ut tale cognitum, ad objecta, quae displicent.

Bonum *subjective* sumtum non scio distingueri a perfectionibus, imo neque a felicitate, ita, ut putem, summum bonum *subjective* sumtum, esse summam felicitatem, uti hanc *objective* sumtam ultimato summum bonum *objective* sumtum.

§. 399. Quod uni placet, saepe displicet alteri, tertio nec placet, nec displicet, imo, quod hodie placet, cras displicet, alio tempore nec placet, nec displicet. Ratio hujus discriminis proximior ex diversitate cognitionum, ex diversitate relationum, quas habent objecta ad diversos homines. Variatio autem in eodem homine iterum ex diversitate cognitionis, ex mutatis relationibus, et ex consuetudine usuque diuturniore consequitur. Si idem objectum ex hac repraesentatum perfectionem, et ex altera repraesentatum imperfectionem exhibet, ex parte placebit, et ex parte displicebit etc.

§. 400. In tanta perceptionum diversitate id tamen commune singulis hominibus est, ut contentur conservare statum voluptatis, eundem augere, et reproducere. Contra statum taedii amoliri, atque eundem evitare. Primum dicimus *adpetere*, alterum *aversari*; et relate ad hos actus voluntas dicitur facultas adpetendi, adpetitus, et aversandi; actus vero ipsi *adpetitiones* et *aversationes* nuncupantur. Si objecta adpetitionum et aversationum sint sensitiva, adpetitiones etc. dicuntur sensuales; si sint intellectualia, intellectuales, rationales.

§. 401. Si facilius ad certum bonum, sive verum, sive adparens, in nobis excitari solet adpetitus, dicimur ad id bonum *inclinari*, *propendere*. *Inclinatio*, *propensio*, est facilitas major adpetitus ad determinatum quoddam bonorum genus. Facilitas major aversandi certum malorum genus est *declinatio*.

§. 402. Adpetitiones et aversationes crescunt 1) ex magnitudine boni, aut mali cogniti. 2) Ex vivacitate repraesentationis. 3) Ex facilitate boni obtinendi, aut mali declinandi. Propensiones, inducuntur repetitis adpetitionibus etc. Sed tamen et ad incrementum adpetitionum, et ad propensiones etc. multum conferre potest naturalis aliqua corporis dispositio.

§. 403. Si adpetitio, aut aversatio fuerit vehementior, dicitur *adfectus*. Ad hos pronitas est *passio*, et major ad certum adfectum pronitas est *passio dominans*.

§. 404. Tam diversi in nobis possunt exsurgere adfectus, quam diversae adpetitiones et aversationes, et hae tam diversae tum in eodem ho-

mine, tum in pluribus, quam diversa sunt iudicia de bono et malo, praesertim in relatione ad nos spectato. Possunt oriri iidem tum ex repraesentationibus sensitivis, tum ex intellectualibus, sed vividis; et hinc tam ex actionibus animae, quam ex motionibus phantasiae.

§. 405. Affectus generatim ad tres classes revocantur: vel enim sunt *jucundi*, vel *molesti*, vel ex utrisque *mixti*.

§. 406. Oriuntur 1) ex *multitudine et magnitudine* variorum gratam, aut ingratham alicujus objecti repraesentationem constituentium. Ex grato *gaudium*, ex ingrato *tristitia*. 2) Ex *novitate* objecti *admiratio*. Haec in majore gradu est *obstupescitio*, *stupor*. 3) *Ex subitaneo terror*, et quidem terror mixtus cum gaudio, si objectum sit gratum; si ingratum, est terror proprie dictus. Si novum et subitaneum concurrunt, oritur *horror*. 4) *Ex incerto*. Si gratum ipsum fuerit, et eventurum probabiliter praevideatur, oritur *spes*; si improbable sit, ipsum eventurum, oritur *pusillanimitas*. Si incertum sit objectum ingratum, probabiliter praevideatur eventurum, nascitur *timor*; si improbable sit eventurum, oritur *animositas*.

§. 407. Prout affectus componuntur, aut ad varia objecta, variasque circumstantias referuntur, ita et ipsi variantur, variisque vocabulis designantur. Sic 1) gaudium ex alterius bona fortuna *congaudium*; gaudium ex alterius infortunio est *malevolentia*; gaudium ex malo depulso est *hilaritas*; gaudium ex iis, quae bene facta putamus, *adquiescentia*. Tristitia ex bona fortuna alterius est *odium*; quatenus vero fortunam

illam nobis, aut amatis evenire cupimus, ita ut doleamus eandem alteri evenisse, est *invidia*. Tristitia ex alterius infortunio est *compassio*, *commiseratio*; ex iis; quae male facta a nobis putamus, *poenitentia*; ex sinistro aliorum de nobis iudicio *pudor*. 2) Admiratio et stupor variant, prout objectum vel novum est ratione extraordinariae magnitudinis, sublimitatis, pulchritudinis etc. vel ratione parvitatatis, humilitatis, deformitatis etc. unde admirationem modo *reverentia*, modo contemptus; jam animi quaedam elatio, jam depressio; alias terror mixtus cum gaudio alias terror proprie dictus comitantur. 3) Terror ex actione alterius, qua nos laesos putamus (sive laesio illa sit contemptus nostri, sive injuria, sive quaecunque damnificatio) est *ira*. Ira conjuncta est cum cupiditate vindictae, item cum tristitia, odio, invidia, commiseratione, pudore, timore, contemptu et irrisione. Irae major gradus est *furor*. 4) Spes conjuncta cum tristitia ob bonam absens speratum est *desiderium*. Timor, qui oritur ex malo inevitabili est *desperatio* etc.

Amor in se spectatus adfectus non est, sed pro-
pensio ad perfectiones, vel suas, *amor sui*, vel
alterius, *amor erga alium*, promovendas;
ipse tamen, sicuti et aliae inclinationes omnes
sunt foecundae radices adfectuum. Idem est
de *sympathia* et hujus opposito *antipathia*.

§. 408. Jucundi aequae, ac molesti, mixtique
adfectus ad eum possunt gradum pertingere,
ut homo omnem sui conscientiam amittat, imo
ut subito moriatur, et hi vehementissimi sunt.
Vehementiores usum linguae difficilem reddunt,
quan-

quandoque omnino praepediunt. Omnes etiam ii, qui ex cognitionibus intellectualibus orti sunt, distinctionem cognitionis tollunt. Horum phaenomenorum ratio potissimam partem repetenda est ex corpore, quorundam etiam ex inquietudine animae.

§. 409. Affectus vehementiores non durant diu: cum enim oriantur ex repraesentationibus valde vividis; haec autem propter continentem successionem aliarum repraesentationum diu vividae esse non possint; necesse est etiam affectus defervescere. Sic mora frangit iram. Subsidet etiam affectus, dum cognitionis distinctio aut acquiritur primum, aut redit. Qui autem in vitio corporis rationem habent, pertinaciores esse possunt.

An anima in affectibus tantum patitur? Resp. Patitur multum, sed tamen et ipsa in iisdem agit. Motiones corporis, quae in vehementioribus affectibus conspicuae fiunt, non sunt omnes ab actione animae, sed multae sunt ex mechanismo corporis.

§. 410. Anima nostra non tantum sua vi se ex suis repraesentationibus ad actiones superiores determinat; sed hoc etiam in multis *pro lubitu* facit, ita, ut nisi omnia nos decipiant, eidem concedenda sit facultas utendi viribus suis *pro lubitu*. Hanc facultatem dicimus voluntatem in sensu stricto, *arbitrium*.

Ante exercitium hujus facultatis in nobis praecedunt collationes et examina ut ut citra repraesentatorum, *deliberationes*.

§. 411. Actiones hominis, quatenus ab hac facultate sunt, dicuntur *voluntariae*, et quidem
im-

immediate, quae ab hac facultate immediate sunt; quae vero mediate, sive quae cum actione immediate voluntaria connectuntur, *mediate* voluntariae sunt. Voluntariis opponuntur *non voluntariae*, quae ab hac facultate non dependent, et *involuntariae*, quae non tantum non dependent a voluntate, sed quas anima praeterea aversatur.

§. 412. Si anima ita determinetur ad agendum, ut actionem omittere non possit, aut ita ad non agendum, ut agere non possit, dicitur *necessitari*, et ista determinatio *necessitatio*. Hae vel *interna* est, scilicet, quae in naturali hominis constitutione rationem habet, et hinc dicitur *physica*; vel *externa*, sive quae habet rationem in alio agente ab hoc homine distincto. Necessitatio, quae oriretur ex alterius consilio, suasionem etc., item ex legibus, dicitur *moralis*; quae, si aliud non sit, nisi repraesentatio motivorum, nondum proprie dici potest necessitatio. Necessitatio, si sit ad illa, quae anima aversatur, est *coactio*, vel interna, vel externa. Omne coactum necessitatum est, sed non omne necessitatum est coactum.

Si per quaestionem, an anima cogi possit? intelligatur, an idem simul possit velle, et nolle, patet, ipsam cogi non posse. Si vero intelligatur, an anima in illas possit circumstantias devenire, in quibus aliquid vult, quod extra illas non vellet, eandem cogi posse, docet experientia: scilicet eligit malum minus, ut evadat majus.

§. 413. Actio animae, quae non est necessitata, est *libera* vel immediate, vel mediate.

Prior

Prior est, quae non est connexa cum altera libera; posterior quae est connexa cum altera libera, licet ipsa libera non sit. Substantia, quae agere sine necessitatione potest, dicitur libera, et haec facultatis adfectio, *libertas*.

§. 414. Ut substantia aliqua possit dici libera, debet circa illas actiones, circa quas libera dicitur, abesse omnis necessitatio tam interna, quam externa. Patet ex principio contradictionis.

§. 415. Etsi substantia aliqua cogitans non possit sine motivis velle, aut nolle, erit ipsa tamen libera, si stantibus motivis possit velle, aut nolle. Nam in hoc casu motiva non necessitant, sed sunt tantum aliquod requisitum ad hoc, ut anima possit velle, aut nolle; illo autem praesente, sine quo non possum, non facio necessario, quod jam possum; adeoque ad libertatem non requiritur omnimoda independentia voluntatis ab intellectu. Contra, si repraesentatis motivis ad volendum anima non possit non velle, non erit libera tum, si motive fuerit repraesentata.

§. 416. In facultate sibi repraesentandi motiva, eademque librandi, sive deliberandi quatali, nequit reponi libertas: de ipsa enim deliberatione quaeri potest, an libere, an necessario ab anima instituta sit; et, si dicatur primum, de libertate nihil explicatum est. Si alterum, libertas non est. Deinde, an voluntas illius, qui ob distinctissimam cognitionem rerum omnium nulla deliberatione eget, libera non est?

In nobis quidem verum est, sine facultate deliberandi nullam esse facultatem eligendi, et sine hac nullam libertatem; inde tamen non sequitur, libertatem in hac facultate sitam

esse.

esse. Certe deliberatio nihil aliud est, nisi reflexio ad diversa motiva eum in finem, ut gravitas respectiva motivorum pateat; posset autem ad id faciendum anima aliunde necessitari.

§. 417. An anima nostra in quibusdam actionibus suis libera sit, facta praecisione a revelatione, aliunde melius ipsa nosse nequit, quam ex sensu propriae suae dispositionis, dum agit: quales enim existentes adfectiones suae sint, unde noceat, nisi ex se ipsa. Jam vero in bene multis suis volitionibus et nolitionibus se ita dispositam sentit, ac si sine omni necessitatione, sive libere vellet, aut nollet. Profecto, nisi omnia negare velim, negare non audeo, quod me ita dispositum deprehendam, ac si ante, quam velim, possem etiam non velle, possem velle oppositum, possem, dum ab actione desistere, vires intendere, aut remittere, prout voluero. Hucusque non fuit sanioris mentis, qui se in iis ita dispositum negaverit, nec fuit, qui diceret, se ita esse dispositum, uti est, dum est necessitatus.

§. 418. Sensus hujus dispositionis est argumentum sufficiens pro libertate animae nostrae. Nam hujus dispositionis debet dari ratio aliqua; haec non potest esse necessitatio: quae enim ex necessitatione consequitur dispositio, est priori opposita. Neque etiam illa ratio potest esse in eo, quia placet: sensus enim istius dispositionis etiam manet circa illa, quae minus placent, aut non placent, sive circa illa, quae inviti facimus. Sentio, inquam, me etiam tum ita dispositum, ut actionem omittere possem, si velim etc. Deinde in iis, quae maxime placent, si necessario fiant,
il-

illam dispositionem non sentio, saltem ego. Quod bene mihi sapit, velim, nolim, sapit bene; adeo saepe dictae dispositionis ratio in eo reponi nequit, quia facio, quod placet. Aut si forte aliquis per quia placet, velit intelligere, quia volo, non sentiam illam dispositionem, si necessario velim. Quare cum hujus dispositio ratio aliqua esse deceat, nullaque omnino adpareat, quae vel verisimilis sit, nisi libertas, recte ex illius dispositionis sensu intimo libertas infertur.

Argumentum pro libertate, quod desumptum est ex justitia poenarum, nondum ita elisum puto, uti adserunt strictiores Deterministae, sive adsertores necessitatis universalis; hi enim, si velint secundum sua principia loqui, virtutem non nisi inter beneficia naturae, et vitia inter abortus referri debent. Quis autem aequus iudex ad culpam imputari id poterit, quod necessitate naturae tale est: Si etiam detur, leges, praemia et poenas in systemate necessitatis inutilia non esse, quia ad motiva necessitantia pertinere possent, inde tamen nondum sequitur, agentem contra leges poenas mereri, ipsique eas juste infligi: non enim sua culpa, sed necessitate contra leges egit, cujus necessitatis ipse causa non est; nam dicere, ipsum debuisse melius inquirere, motiva magis ponderare etc. est aliquid ab ipso postulare, quod aliter in eo evenire nequit, nisi et ad hoc aliunde sit necessitatus; ubique igitur necessitas et justitia hic locum habere nequit; possunt obtinere vexationes, non poenae. Nec video, qua ratione obmoveri possit, talem hominem
idci-

idcirco jure plecti, quia facit, quod vult, ipsius non esse inquirere, qua ratione voluntas determinata sit; neque enim ipse facit, quod in ipsius potestate est non velle, sed ad quod volendum necessitatur. Et si illius non sit (quod tamen miror a philosopho dici posse) inquirere rationem determinationis suae voluntatis; illius tamen, qui hunc hominem judicat, est inquirere, an necessitatus ita egerit, nec ne, et siquidem primum foret, aequè parum veri nominis poenas dare poterit, ac brutum animal.

Libertate a necessitate posita, positaque actione, quae ab hac denominatur libera, nihil ponitur sine ratione sufficiente. Nam primo ratio sufficiens movens, excitans animam ad volendum, est in repraesentatione alicujus motivi; quod autem ipsa tali repraesentatione excitari possit, est in animae natura, quia ipsa est substantia sensibilitate praedita. Deinde, quod actio libere poni possit, ratio sufficiens est in perfectione hujus voluntatis, sive in libertate, et quod ponatur libere, est in adplicatione hujus voluntatis liberae qua talis: perinde, sicut ratio sufficiens abstractionum est in perfectione facultatis intelligendi ita adplicatae; et uti hic ulterior ratio inepte postulatur, cum alia dari nequeat, nisi haec, quia Deus illa facultate abstrahendi me instruxit, qua, dum abstraho, utor; ita nec alia ulterior dari potest, quare libere velim, nisi haec, quia Deus me hac facultate instruxit, et dum libere volo, hac utor. Quaestio illa
de-

decantata: *quare volo, dum volo*, non videtur, hic apte adplicari. Habeo semper, dum volo, rationem aliquam, quare velim, etsi nulla esset alia, quam haec, ut ostenderem me posse velle. Sed quaeri hoc loco debet: utrum motivum propositum ad volendum me necessitet, nec ne? Cum jam sentiam intime, me ita esse dispositum, ut stante hoc motivo possim non velle; respondeo, me necessitari. Et licet non possem, nisi ex alio motivo, non velle, adverto tamen hujus ipsius motivi eandem esse conditionem, quae prioris, scilicet, me neque per hoc necessitari. At possum tamen necessitari, quin hoc adverterem. Permitto; possem necessitari, et tamen me ita dispositum sentire, ac si etiam possem nolle, sive: possem necessitatione praesente sentire dispositionem omnino oppositam. De eo vehementer dubito. Sed tamen hoc etiam dato aequè parum infringitur vis positi argumenti, atque illius, quo ex constanti sensatione inferimus existentiam corporum: nam licet absolute possibile sit, me ita adfici, ac si existerent corpora, quamvis non existerent; nemo tamen prudens de veritate existentiae corporum dubitare potest; sic etiam, dum ex constanti sensu dispositionis sui ipsius anima se liberam judicat, non adparet, cur vereri debeat, se in hoc iudicio errare.

Neque actiones liberae optimo possibili nexui partium hujus universi quidquam obstant; nam illae aequè connexae sunt cum reliquis, ac illa, quae hypothetice necessario

eveniant: pertinent enim actiones liberae necessario ad hunc mundum, et sine ipsis tam parum esset hic mundus, quam sine necessariis. Nexus optimus optime adcommo-
 datus est naturae substantiarum et actionum; relinquit igitur substantias liberas esse liberas, et actiones libere ab ipsis poni. Conf. quae subjiciuntur §. 230.

Neque etiam, quod Spinoza et Hobbesius opinabantur, admitenda erit volitio volitionis in infinitum. Dum enim dicitur anima se libere determinare, idem intelligitur, ac libere velle, ita, ut ipsa haec determinatio sit volitio. Nempe dum me determino, volo, dum me libere determino, libere volo, ac statum indifferentiae simul tollo, illum scilicet, qui erat ad volendum, vel non volendum, non illum, qui erat ex absentia omnino motivi: hic enim per praesentiam motivorum sublatus est.

An in electione inter bona id necessario eligit anima, quod adparet optimum? Resp. negative: in nostris enim electionibus ita deprehendimus nos constitutos, ut etiam possemus non eligere. Cur igitur praetermisso illo, quod videtur optimum, non possemus eligere aliud minus bonum, cum hoc adhuc rationem boni retineat? An id faciendo prudenter agamus, an libertate nostra tum abutimur, quaestio est huc non pertinens.

An inter bona adparenter aequalia anima unum potest prae altero volle? Resp. Potest. Nam licet anima unum ex iis bonis magis aestimare non possit, atque aliud; eo ipso

ipso tamen, quo utrumque bonum est, ad-est objectum, quod anima velle potest, cum bonitas propter aequalitatem in neutro tollatur. Dum autem anima unum ex iis bonis vult, non est haec sola ratio, quia vult, sed simul, quia id, quod vult, apparet esse bonum, imo, quia etiam exercitium suae facultatis, sive ipsum velle, ut bonum sibi repraesentare anima potest.

Non nego in isto casu difficilius esse animae se determinare libertatemque veluti restringi. Sed hoc, ut puto, oritur ex inclinatione ad adquiescentiam, quae subsequitur testimonium, nos et alios docens, quod prudenter egerimus; scimus autem prudentiam eo magis elucere, quo plures et graviores adfuerint rationes, ex quibus nos libere determinavimus.

Descriptio libertatis humanae, quam ad-ferat cl. ULRICH in seiner allgemeinen Geisteslehre §. 81. prae omnibus, quas legi in libris D. D. Protestantium, placet; est autem haec: Die Zulänglichkeit (sufficiencia) der unseres Geistes bey verspürten Trieben und Neigungen seine Entschließung und endliche Bestimmung zurückzuhalten, um die Sache nach allen Seiten betrachten zu können, und auch noch alsdenn; wenn das Urtheil des Verstandes eingeholet worden, sich entweder für, oder wider diese Triebe zu bestimmen, ist Freiheit. Cui descriptioni omnino adquiescam, si pau-cula interserere licuerit, quae forte satis intelligi ex aliis cl. author iudicavit. Scilicet: sich für, oder wider diese Triebe ohne sowohl
in

innerliche, als äusserliche Nöthigung zu bestimmen. Atque his additis conformiter placet et reliqua hujus authoris. Je leichter es mir wäre, bey entstehenden Trieben und Neigungen meine Entschliesung, und würlliche Bestimmung anzuschieben, um ohne alle Partheilichkeit und schädliche Eilfertigkeit den Gegenstand der Neigung betrachten, das Urtheil der gesunden Vernunft ruhig abwarten zu können, desto vollkommener, dächte ich, wäre meine Freiheit. Je leichter es mir ferner fiel, dem nach unpartheiischer Prüfung abgefaßten Urtheil der Vernunft nur das Bessere selbst wider die bereits entstandenen Triebe und Neigungen zu folgen, desto vollkommener würde meine Freiheit seyn. . . . Je saurer es uns eingehen wird unsere Entschliesung zurückzuhalten, um vorher die Sache vor den Richterstuhl der unpartheiischen Vernunft zu bringen, der je schwerer es uns fällt, dem für richtig erkannten Urtheil der Vernunft wider die entgegen gesetzten Triebe und Neigungen in folgen; desto mangelhafter ist unser freier Wille. Die allzu große Stärke und Behaftigkeit sowohl, als der Mangel derselben in Ansehung gewisser Trieben, eine gewisse Trägheit, Herrschaft der Sinnlichkeit, sind die Ursachen dieser Unvollkommenheit der Freiheit. *Ex perfectione libertatis dominium in se ipsam* (die Herrschaft der Seele über sich selbst) *et ex imperfectione est servitus* (die Knechtsaft); *ex hac illud: video meliora proboque, deteriora sequor.*

 C A P U T II.

 NATURA ANIMAE, EJUS ORTUS
 ET DURATIO.

S E C T I O I.

NATURA ANIMAE.

§. 419.

Natura cujusque substantiae constituitur ex complexu virium et receptivitatum ejus (111); hinc et animae natura erit complexus virium et receptivitatum animae.

§. 420. Potest anima considerari ut pars compositi, quod hominem dicimus, sive quatenus est anima, et potest considerari facta praecisione a corpore. Si primum, natura ipsius determinari non poterit, nisi simul attendatur ad naturam corporis.

In corporis naturam inquirere potissimum ad Physiologos pertinet, qui, etsi multum posterioribus temporibus hac in re praestiterint, eo tamen non devenerunt, nec devenire poterunt, ut lumen ad tantas tenebras dispellendas sufficiens Psychologis adferrent; adeoque vel ex hoc capite animae natura accurate determinari non poterit. Et, si anima consideretur facta praecisione a corpore, quanti ubique
 .que

que recessus? Quis omnes animae facultates determinabit, si dubitare debeat, an non multo plures sint, quae in hoc corpore se nunquam explicant? etc. Sperari igitur nequit adcurata determinatio naturae animae humanae.

§. 421. Satis certum est, animam meam cum meo corpore in arctissimo esse commercio (301). Sed non aequè certum est, an anima mea efficienter determinet corpus ad motum, et corpus vicissim animam ad certas repraesentationes etc. Coëxistentia enim volitionis cum certis motibus corporis, et vicissim coëxistentia motionum corporis cum certis repraesentationibus, aut constans illa subsequutio, quae circa illas variationes obtinet, nondum praebent certum argumentum pro influxu mutuo physico (304). Veruntamen ut ut verum sit istud principium logicum (log. §. 208.), ipsum non praejudicat casui, in quo variationum ratio sufficiens efficiens in iis esse potest, de quibus quaeritur; in quo, nisi vim mihi inferam, aliter judicare nequeo, quam unum esse veram causam alterius; in quo denique nulla convincens ratio contra veram causalitatem adferri potest; atqui haec omnia obtinent circa commercium animae nostrae cum suo corpore; primum ex §. 304, alterum ex conscientia propria, tertium ex ipsis rationibus contra influxum hucusque prolatis; adeoque anima suam de commercio iudicium, ad quod ex semetipsa impellitur, tuto habere potest verum.

Responsiones ad objectiones contra systema influxus physici legi possunt apud STORCHENAU *Psych.* pag. 289. et seqq. Quibus

addi adhuc potest, quasdam in corpore motiones, quae originarie ab actione animae proveniebant, paulatim sola actione nervorum produci, et vice versa, aliquas motiones, quae alias a sola nervorum actione erant, actione animae excitari posse. Systema MALLEBRANCHII (302) circa animam nostram admitti nequit: Cum 1) innitatur falso supposito, creaturam nullam vere agere posse. 2) Cum in omnibus ad immediatam Dei actionem provocare philosophi non sit. Cetera, quae ipsi objiciuntur, non ferunt.

Nec systema harmoniae praestabilitae (303) potest admitti, cum et ipsum ultimato innitatur falso supposito, animam non posse agere in corpus, neque hoc in ipsam. Alias difficultates Harmonistae facile declinare possunt.

§. 422. Conformiter systemati influxus naturae animae humanae generatim spectata reponi potest in vi sibi repraesentandi, volendi corpusque suum humanum diversimodo determinandi, et in receptivitate variarum determinationum a suo corpore humano. Haec in quavis anima humana, quantum, ex actionibus concludere licet, deprehenduntur.

Discrimen singulorum hominum est 1) ex discrimine singularum animarum, cum maxime verisimile sit, quamvis animam gradu perfectionis suarum facultatum ab altera differre. 2) Ex diversitate singulorum corporum. 3) Ex causis extrinseciis, variis scilicet circumstantiis, in quas homo devenit. Ex quibus

bus consequitur, idem ingenium, eandem indolem, sive characterem apud duos homines non occurrere; adeoque quemvis hominem praeter naturam communem habere suam specialem, et hanc variis mutationibus obnoxiam.

§. 423. Anima a corpore nequit ullam facultatem accipere, quam ipsa non habet. Potest quidem una substantia finita alteram impedire, quo minus facultatem exserere possit; potest item unus homo alterum instruere, qua ratione facultate aliqua, quam habet, uti possit ac debeat, sed inserere novam aliquam non poterit. Quod ipsum omnino certum foret, si certum esset, substantiam esse id ipsum, quod est vis; facultates enim cum sint attributa ipsius vis (108), necessariae sunt, ac consequenter communicari a substantia finita, alteri finitae nequeunt. Quare facta praecisione ab actuali unione animae cum corpore, potest adhuc animae natura in iis reponi, quae §. praec. enumerata sunt, licet actuale exercitium facultatis determinandi suum corpus, et receptivitatis determinationum ab eodem unionem praesupponant.

Quaenam tandem est definitio animae humanae?

Resp. Ad Logicae regulas exactam ego nullam scio. Ejusdem admitti potest haec descriptio: anima humana est substantia spiritalis finita intellectu et voluntate potentiaque corpus humanum diversimodo determinandi, et capacitate recipiendi determinationes ab eodem praedita. Posset, inquam, haec admitti descriptio, si sciremus, non dari alios spiritus finitos, qui possent idem.

§. 424. Omnes animae facultates originariae sunt et innatae, quantum haec vocabula adquisito opponuntur: non enim ullam habet a corpore, nec a propria actione: omnis enim actio sine facultate ad ipsam praevia impossibilis est.

Habitus est facilitas actionem producendi. Haec via naturali non aliter acquiritur, quam exercitio; hinc habitus originarii non sunt.

Sed quid de ideis innatis? Resp. Si idearum innatarum nomine intelligatur facultas animae ex semetipsa ideas formandi, tum videntur dari ideae innatae. Si vero intelligantur actuales cognitiones in anima latentes, quae paulatim eidem adpareant ex ipsius fundo veluti emergentes, non videtur ratio sufficiens tales admittendi, et modus, quo in cognitionem rerum devenimus, est ratio pro opposito.

Quid de instinctibus innatis? Resp. Non satis intelligo, quid veniat nomine instinctuum. Si forte per instinctus intelligatur ipsa irritabilitas animae ad adpetendum sibi visum bonum, et aversandum sive visum malum, dantur instinctus innati: nam sine ista irritabilitate facultas adpetendi nunquam exerceretur. Item, si per instinctus etiam intelligatur ipsa irritabilitas animae ex dispositione machinae corporeae, unde anima veluti admonetur et incitatur, ut indigentis animalis subveniat, et hoc sensu instinctus innatos dari certum est; e. g. instinctus ad cibum et potum etc. Si vero per instinctus intelligantur actuales directiones facultatis

ad-

adpetendi ad certum bonum, aut usque adeo actualia desideria certorum bonorum vel verorum, vel adparentium, non puto, instinctus innatos in homine dari; saltem necessitatem, cur ii admitti debeant, non video, cum anima nostra ratione praedita sit, bonumque aliquod, qua sibi bonum cognoscere possit, atque ipsa praeterea ita comparata sit, ut talem repraesentationem sensio grata consequatur, quae aliquoties repetita facilius animo recurrit, inclinationemque paulatim parit; cumque praetera certae dispositiones machinae corporeae gratum animae statum usque adeo sine claris repraesentationibus inducere possunt, atque etiam ipsa anima paulatim discat suis actionibus in corpus talem statum reducere, etiam ex repetita horum statuum inductione inclinationes orientur. Inclinationes, undecunque orientur, eo excrescere possunt, ut etiam activae sint, sine clariore conscientia animae, quae tunc ab aliquibus adpellantur *similes instinctibus*, quibus authoribus ipsi instinctus nihil aliud sunt, nisi coecae incitationes ad agendum.

Possuntne facultates illae omnes, quas animae in corpore humano tribuimus, resolvi in unam vim repraesentandi? Conantur id multi praestare, sed si etiam concessero facultatem volendi in vim repraesentandae resolvi posse, non tamen video, qua ratione facultas se suumque corpus movendi inde deducatur.

S E C T I O II.

O R T U S A N I M A E.

§. 425.

Cum anima sit substantia finita, ut ipsam satis docent facultates suae finitae, et limitationes, quas ipsae subeunt; adeoque et contingens (146) et simplex (127), aliter, quam creatione oriri nequit (129). Quare anima neque ex substantia infinita per emanationem exiit, neque est hujus quaedam particula.

§. 426. Potuerunt animae simul omnes condi ante corpora iisdem postea inserendae; potuerunt in prima rerum origine condi inclusae corpusculis organicis per primum hominem in posteros transfundendae evolutione continua; possunt et adhuc condi, et quidem in ipso corpusculo. Neque enim in ulla harum opinionum est contradictio. Conf. etiam §. 180.

Duae priores sententiae sunt *Praeexistentianorum*: prima veterum. Hic de *metempsychosi*. Altera quorundam recentiorum. Qui tertiam tuentur, dicantur *Induciani*.

§. 427. Non videtur ratio sufficiens adstruendi praexistentiam animarum neque sensu veterum, neque recentiorum. Nam illa ratio sufficiens, si in rerum natura creata inquirenda sit, vel deberet esse in anima ipsa, vel in harmonia universi, hic maxime in analogia cum reliquis ani-


animantibus. In anima certe ea deprehendi non poterit: neque enim ejus prae materia praecellentia (quo veteres quidam videntur ad suam sententiam permoti fuisse) ejusdem creationem ante materiam postulat, nisi eodem argumento velis conficere totum compositum, quod hominem dicimus, ante composita materialia, adeoque et ante terram, cui insistere etc. conditum fuisse. Nec harmonia universi generatim, nec speciatim analogia cum reliquis animantibus, uti volunt Leibnitziani, praebet sufficiens fundamentum pro illorum sententia. Nam harmonia non turbatur, si substantia interserta conspiret cum reliquis ad unum totum: an turbatur drama, dum persona, quae nondum in theatro comparuit, primo comparet, modo ad drama istud ipsa pertineat? Atqui conspirat quaevis anima, quae recens creatur, cum reliquis omnibus ad totum mundum, estque ipsa connexa ex multis rationibus cum iis omnibus, quae ante ipsam conditae sunt, et postea condentur. Et sane, si novae substantiis perfectiones adcedant etc. non turbatur harmonia, eecur turbaretur, dum nova substantia interseritur? An universum hoc jam ullibi omnino completum existit, nisi in sola idea conditoris? Quod denique ad analogiam attinet, nondum probatum est, animas reliquorum animantium ab initio simul conditas esse, atque istiusmodi corpusculis inclusas: animalcula a *Lewenhaeckio*, aliisque observata id nondum probant. Quod igitur ex nondum probato poterit institui argumentum?

§. 428. Planior videtur illorum sententia, qui adserunt, animas conditum, quando actiones aliquas, ad quas in corpore obeundas destinata

nata est, jam in eodem exercere potest. Tum enim est ratio, cur eidem insit, sicuti hoc corpus tunc deserere censetur, quando machina ea tenus corrupta est, ut anima suas functiones in corpus praestare amplius nequeat. Praeterea haec sententia est a multis sequelis tum explicatu difficillimis, quibus Leibnitziana non videtur carere.

Quaenam igitur sunt illae in corpore actiones, ad quas anima praerequiritur? etc. Resp. Aliqui illas adpellant actiones vitales, ad quas referunt motus cordis, pulsus arteriarum, respirationem est. Aliis ipse irregularis motus corporis signum est praesentis animae. Forte sunt actiones nobis ipsis incognitae in prima rudimenta corporis statim post foecundationem exserendae.

Estne anima per totum corpus diffusa, an vero residet in simplici individuo puncto intra corpus, et in qua parte corporis id reponendum? Resp. Primum est inconceptibile, neque necessarium. Alterum satis certum videtur, et ex experienciis satis tuto deducitur, illud punctum esse in cerebro. An illud punctum sit fixum, nec ne, quis divinabit?



S E C T I O III.

D U R A T I O A N I M A E.

§. 429.

Duratio naturae humane dicitur hominis vita, et speciatim duratio unius animae cum hoc suo corpore *vita terrena*; cujus finis *mors* est. Duratio naturae spiritus est ejus vita, et hujus cessatio *mors*.

§. 430. In compositis substantialibus nexus ipsis partibus contingens est (124), est autem homo compositum ex substantiis omnino multis; poterit igitur inter has singulas nexus tolli, adeoque homo in partes resolvi; hinc ipse est corruptibilis. Uterius: cum natura totius hominis sit natura corporis et animae simul, resolutio nexu inter corpus et animam cessat natura hominis; adeoque ipse est *mortalis*; utrumque naturaliter, sive per vires creatas.

§. 431. Quaevis substantia simplex est (127); hinc et anima; nequit simplex in partes resolvi; hinc nec anima; adeoque sicuti omnis substantia, sicut et anima *incorruptibilis* est, nec aliter desinere potest, quam annihilatione (129); adeoque non per vires substantiae finitae (154). Quantum igitur est ab actionibus substantiarum finitarum, iis non exterminabitur anima, sed si semel sit, durabit semper.

§. 432. Substantia una finita alteri facultatem aliquam communicare nequit (423); hinc non habet rationem alicujus facultatis existentis in al-

te-

tera, adeoque ab altera non dependet, an facultas haec, aut alia alicui substantiae insit, nec ne; hinc neque tollere poterit una finita facultatem alterius. Quare et anima, quantum est ab actonibus substantiarum finitarum, retinebit facultates suas etiam hoc corpore soluta.

§. 433. Eisdem etiam exserere poterit. Nam
 1) licet in hoc corpore illas exserere non possit, nisi dependenter ab hoc corpore, inde tamen inferri non poterit, quod illud non possit soluta hoc corpore: non enim valet: quando sum in hoc, non possum nisi per hoc; ergo, quando non sum in hoc, omnino non possum. Imo vero, licet certis hujus corporis dispositionibus anima eo adigi possit, ut facultatem adpercipiendi sive conscientiam memoriamque exserere non possit, inde non sequitur, ergo soluta hoc corpore conscientiam sui et memoriam habere non poterit: haec enim omnia tantum ostendere videntur, vel materiam posse in spiritum agere, ejusque facultates impedire, vel spiritum in tali corpore ad suas operationes indigere certa dispositione partium corporis, vel utrumque, non autem spiritum extra hoc corpus constitutum, hisque jam legibus solutum agere illa non posse, ad quae peragenda facultates habet, quia spiritus est, et quidem talis; adeoque si etiam vita spiritus *in actu secundo*, ut vocant, reponatur in conscientia, atque ut semetipsum esse eundem, sive se esse eandem personam noscat, sui memoria requiratur, mortuo homine non erit idcirco mortuus spiritus. 2) Substantiae materiales facta quacunque dissolutione retinent vires suas, et quidem activas, cur animae hominum activitatem
 suam

suam amitterent? cur activitatem ut substantiae retinerent, non ut spiritus? Potestne id, quod spiritus est, a substantiali re ipsa separari? Cur in soporem inutilem aut primum laberentur, aut reciderent, dum materia, si ita loqui licet, vigil, atque activa perseverat? 3) Animae nostrae possunt esse finis, propter quem materia condita est, non vice versa: habet enim anima nostra facultatem reflectendi etc. percipiendi grata et ingrata etc. quibus omnibus materia caret. Haec tamen perstaret activa, spiritus autem hominis agere non posset? 4) Cum in rerum natura nihil frustraneum sit, neque erunt frustraneae praestantissimae facultates et capacitates animae humanae; essent tamen, si intereunte corpore interiret usus facultatum animae: nam, quot moriuntur infantes, quorum animae suae existentiae sibi nunquam consciae fuerunt etc. Et sane vita etiam Mathusalemi quantillum tempus est reale ad successionem in progressum infinitam, vix non est nihilum; ergo pro momento esset facultatum usus, et capacitates maximae, sed nunquam explendae: frustra nostra capacitas plura et plura sciendi, et quidem circa substantiam infinitam conditorem universi; frustra illud rationi adeo consonum, cumque illa quasi continenter crescens desiderium verae, et hinc aeternae beatitudinis etc. Profecto, si me etiam non doceret religio, convincerer ex memetipso, me cogitantem etiam dissoluto hoc corpore cogitare, et percipere, me mei statusque praeteriti posse esse memorem, paucis: me posse exserere illas facultates, quas ut talis spiritus habeo, et verisimilius aliquas perfectius, quia in multis jam limitor hoc corpore.

Sed

Sed qua ratione id faciet anima? An corpus aliquod subtilius vel primum nanciscetur, vel ex hoc corpore secum auferet? Resp. Modum, quo anima tum facultates suas exsertura sit, non scio, sed nec scio jam, quomodo cogitem, quomodo recorder etc. interim non video rationem adserendi tenue quoddam corpusculum, quo vestiatur: ipsum, ut ut tenue, nihil tamen cogitaret, nihil sentiret, cur igitur statueretur, dum probari nequit, animam hoc corpore semel solutam alio ad actiones suas indigere.

§. 434. Cum duratio naturae sit vita, natura autem in viribus et receptivitatibus entis sita sit (111); poterit anima nostra hoc corpore soluta vivere, et, quantum est ab actionibus causarum finitarum vivet vita proprie dicta, utpote, quae solis spiritibus convenit. Cum praeterea anima nostra ex natura sua sensuum gratarum et ingratarum; verarum perfectionum et imperfectionum capax sit ac maneat, est et capax felicitatis et infelicitatis, eritque a corpore soluta vel felix, vel infelix, magis, aut minus.

Quamdiu igitur durabit vita animae? Resp. Quantum per actiones causarum finitarum licet, durabit semper, estque hoc sensu naturaliter immortalis anima, quod vitam continuata sit, quidquid demum causae finitae agant, quodque nullam tale agens ipsam vita spoliare possit. Sed an substantia infinita animam vita sua non spoliabit? Resp. Hoc suspicandi nulla prorsus adest ratio, imo vero sunt et in anima (434), et in substantiae infinitae perfectionibus, de quibus in Theol. nat.,

nat., rationes gravissimae judicandi, id nunquam eventurum, ita, ut satis certi esse possimus, facta etiam praecisione a revelatione, animas nostras in aeternum superstites vitaque fruituras esse, utinam felice.

Aliquid de animabus brutorum.

§. 435. Scientiam de animabus brutorum possemus adpellare psychologiam *thirtologicam*. Sed de iis tam parum nobis constat, ut aliter ad praedicata ipsis convenientia concludere non liceat, quam ex analogia ab anima hominis desumpta; imo vero ipsis inesse animam aliter inferre non possumus, quam ex actionum similitudine cum nostris actionibus, quae facultatem repraesentandi in nobis praerequirunt. Deinde diversissimae species sunt brutorum, nunquid arguendum, et diversissimas esse species animarum? Cujus intellectus iam sufficit ad dijudicandum, in quibus praedicatis essentialibus differant?

§. 436. Quaedam bruta animantia ad hominem adcedunt proxime, tam similitudine corporum, quam quarundam actionum; alia recedunt magis, donec denique deveniatur ad istiusmodi, quae a plantis sensu et potentia se loco movendi, si exteriora spectes, tantum differunt.

§. 437. Omnia bruta habent animam: habent enim sensum, per quam primario a plantis differunt; sensus autem esse nequit sine repraesentatione (309); haec noo sine substantia sibi repraesentante (390); substantia in corpore aliquo organico sibi repraesentans est anima (301). Quare divisio brutorum in animata et inanimata admitti nequit.

Sententia adserent, bruta meras esse machinas, nullo nititur fundamento, et refutatur argumento ex analogia deducto.

Quid quidam animas brutorum spiritus adpellare nolint, vel est ex arbitraria notione spiritus, vel ex reverentia erga animam humanam. sed nunquid ipse summus Deus substantia dicitur. Ut substantiae differunt inter se suis perfectionibus; sic et hae, quae spiritus dicuntur.

§. 438. Mirabilia quorundam brutorum opera non sunt ratio sufficiens adserendi, animas illas habere intellectum, qualem homo habet. Nam licet in multis admitti debeat phantasia, et quaedam quasi reminiscencia, sensus grati et ingrati, adpetitiones et aversiones, facultas quaedam attendendi et discernendi, haec tamen omnia ad illum intellectum probandum eo minus sufficiunt, quo plures ex notis vere characteristicis intellectus humani ipsis definiunt.

Discrimina inter hominum et brutorum animas, quantum ex observationibus hucusque collectum est, adferuntur sequentia:

- 1) Omnes actiones belluarum sensualia spectant, inde oriuntur et ad illa diriguntur. Hominis actiones multae ex sensualibus oriuntur, neque eo diriguntur.
- 2) Homo ex similibus et aequalibus abstrahit formatque notiones, non brutum. Hoc non adficitur, nisi actione individuorum in suum corpus, aut reproductis motionibus cerebri.

- 3) Homo excogitat nova, fingit facitque combinationes a sensibus non dependentes. Bruta nihil novi excogitant etc. Republicae ipsorum omniaque artificia talia adhuc sunt, qualia erant ab initio: foetus ipsorum, quin instruantur, omnem parentum artem callent.
- 4) Homo callet artem arbitrarie signandi, sermocinandi etc., et ex his signata cognoscit. Non brutum. Quare illam memoriam non habet, quam homo.
- 5) Homo distinguit pulcra a deformibus, vera a falsis, sublimia ab humilibus; novit moralitatem etc. Non brutum.
- 6) Homo judicat et ratiocinatur. Non brutum: ad haec enim requiruntur notiones, quas brutum formare nequit. Quae videntur esse in brutis judicia, non sunt, nisi sensationes compositae: idem valet de ratiociniis.
- 7) Homo ex praesentibus futura conjicit ratiocinando. Non brutum. Sic dicta expectatio casuum similium est ex associatione idearum materialium cerebri deducenda.
- 8) Percipit homo etiam voluptatem intellectualem. Brutum tantum sensualem.
- 9) Homo potest adfectus suos moderari, reprimere, variare. Non brutum: hoc rapitur vi idearum materialium: et si quandoque videatur adfectus suos reprimere, hoc non fit, nisi alia impressione

fortior. Cumque semper vivacitate idearum necessario ad agendum determinentur, carent libertate. Praeterea sunt in homine adfectus, qui in brutis non sunt; e. g. poenitentia, gaudium ex alterius malo etc. Atque ex his pluribusque aliis rite inter se cellatis patebit, in hominem iniquos esse illos, qui eundem brutis aequiparant; iniquiores, qui infra brutorum sortem ipsum deprimant. Esto, adcedere aliqua bruta quibusdam suis actionibus proxime ad actiones hominum, different tamen in aliis, ita, ut ratio sufficiens non sit iis attribuendi intellectum et rationem, qualem anima hominis habet. Si brutis velis attribuere intellectum belluinum in uno perfectiorem, quam in altero, per me licet, de voce non est litigandum.

§. 439. Non est verisimile, discriminis inter hominem et brutum rationem esse in solo corpore. Nam, cum eorum quaedam conformationem organorum ad enunciandos sonos sufficientem habeant, unde est, quod sermocinari non discant, licet inter homines versentur? Unde est, quod in iis, in quibus dociliora ab hominibus instituta sunt, exercendis a stupidissimo homine tamen distent? Quare homo ferus in societate cultorum tam cito rationis suae signa prodit, non item astutissimum cetera brutum? etc. Haec, et plura alia sufficienter docent, illud discrimen in essentiali animarum diversitate magis, quam in corporibus rationem suam habere.

§. 440. Imo vero ipsae diversissimae brutorum species non in corporibus tantum, sed et in animabus essentialiter differre videntur, ita, ut e. g. anima canis ab anima equi essentialiter differat: quae enim alias esset ratio, cur potius huic corpori juncta esset, quam alteri? Et nunquid dantur plura, quorum conformatio corporum parum differt, actiones tamen hinc et facultates, multum, differtne multum in conformatione corporis a passere, philomela? etc. Conf. quae subjiciuntur §. 257.

Sed quid fit istis animabus post brutorum mortem, an annihilantur? Resp. Rationem, quare annihilentur, non video. Quid ipsis eventurum sit, novit ille, qui et me et ipsas condidit.

PARS QUARTA.
THEOLOGIA.
NATURALIS.

PROLEGOMENA.

§. 441.

Theologia naturalis est scientia de Deo, quatenus ipse per solam rationem cognosci potest.

§. 442. *Theologia naturalis* tractat 1) de conceptu, et existentia Dei. 2) De attributis, sive proprietatibus. a) De incommunicabilibus; b) de communicabilibus. 3) De operationibus Dei. a) De creatione. b) De providentia.

§. 443. Quatenus in hac scientia ex hoc mundo ad existentiam Dei concluditur, dicitur ipsa *theologia naturalis cosmologice pertractata*; quatenus vero ex ipso conceptu Dei ad existentiam etc. concluditur, *ontologice pertractata*.

Theologia naturalis suam ab erroribus desoecationem potissimum debet divinae revelationi. Docent hoc errores gravissimi etiam caetera sapientissimorum hominum, ita, ut quaedam ab ipsis et vere, et pulcre de Deo dicta suffi-

sufficere non possint, ad ista encomia, quae rationi nostrae a Naturalistis tribuuntur. Et nunquid etiam posterioribus temporibus turpissime lapsi sunt aliqui ex iis, qui nullo ad revelationem respectu gravissimam hanc de Deo doctrinam tractare adgressi sunt: — Inde tamen non sequitur, Theologiam male dividi in naturalem, et revelatam.

CAPUT I.

CONCEPTUS, ET EXISTENTIA DEI.

§. 444.

Conceptus Dei formatur vel combinatione certarum notarum, vel illatione. Primum fit, dum cum notione entis, aut substantiae jungitur conceptus perfectionis summae, Deusque concipitur ut ens, aut substantia perfectissima (147); vel etiam dum inquiritur possibilitas entis in existendo necessarii, et Deus tale ens dicitur (88). Alterum fit, dum in causam hujus universi, partium, ex quibus consurgit, aut saltem in causam dispositionis, formaeque hujus universi inquirimus, ac denique concludimus ad causam effectricem summe intelligentem, hinc spiritualem ab hoc universo diversam, illamque causam intelligimus per nomen: *Deus*.

Atheistae non solum habiti sunt illi, qui existentiam Dei negabant, sed et ii, qui quidem nomine Deum confitebantur, sed eundem substantiam ab hoc universo diversam, et

in-

intelligentem negabant. Dividuntur in *speculativos*, quorum error tantum est in intellectu, et in *practicos*, quorum malum habet rationem praecipuam in voluntate.

§. 445. Argumenta pro *existentia Dei* vel desumuntur ex principiis ontologicis, sive metaphysicis *, vel physicis **. Et quae ex prioribus desumuntur, vel sunt omnino a priori, dum scilicet nulla, existentia supponitur, sed ex possibilitate ad existentiam concluditur. Vel sunt a posteriori, dum ex existentia rerum quarundam ad existentiam entis necessarii concluditur.

*) Argumentum ex possibilitate entis perfectissimi vide in init. Ont. conferendo §. 37. et 148. Alterum ex possibilitate entis necessarii in existendo, vide §. 88. et 89. Tertium ex existentia contingentium ad existentiam entis necessarii, vide §. 93. et 220.

Contra argumenta a priori pro existentia Dei, obmoventur, in illis fieri transitum a statu ideali ad statum realem. Hoc si idem significet, ac determinationes entis perfectissimi, aut necessarii essentialia esse tales, ut dum ex iis ipsis possibilitas illius entis cognoscitur esse realis, etiam cognoscatur actualis existentia, transitus ille robori argumenti nihil detrahit: neque enim illud ens idcirco possibile est, quia cognoscitur esse possibile; sed ideo cognosci potest possibile, quia tale est; hinc illa possibilitas, uti et omnis ab ideis cognoscentis est independens. Non igitur ab ideis est ratio existentiae, nec existentia. In nullo alio possibili illa ratio in-

est,

est, et possibile generatim spectatum hanc rationem etiam non involvit, atque inde forte est istorum argumentorum pro nostro intellectu obscuritas.

Argumentum ex notione contingentis deductum ut convincat, praerequitur, ut probatum sit, quaedam contingentia existere (211). Neque huic obest, quod principium rationis sufficientis quibusdam adhuc dubium videatur: possunt enim ii aequè dubitare de veritate principii contradictionis. Nec juvat provocare ad seriem infinitam: haec enim implicat, et, si tantisper detur, adhuc tamen omni jure illius seriei, quoniam contingens est, ratio ultima postulatur.

**) Verum quidquid sit de argumentis metaphysicis, ipsa prima non sunt, per quae homines in cognitionem certam existentis Dei venerunt, neque esse poterant, utpote subtiliora, atque etiam ideo, non cuivis intellectui humano satis adcommodata. Circumstant nos undique plurima, quae voce omnino intelligibili, siquidem rationis compotes simus, nobis inelamant: *Detur, Deus*; imo nos ipsi, si ad nos attendamus, hoc ipsum nobis distincte loquimur.

Dum oculos aperimus, pandit se nobis theatrum immensum rerum plurimarum, optimo ordine, sive successiva, sive simultanea species, dispositarum, adcuratissime connexarum ex variis vix non innumerabilibus rationibus, fines multiplices, et optimos, exactissimam subordinationem, et sufficientiam

mediorum ad illos fines, utilitates inexplicabiles pro quovis animante, et maxime rationali. Et tu homo ratione utens dubites de existentia alicujus authoris harum rerum omnium? Tu de illo non exclames cum Psalte: *Magnus es tu, et faciens mirabilia, tu es Deus solus.* Considera te ipsum, quot, et quanta in te sunt, quae tu non fecisti, quorum nihil est, quod fines suos non habeat, quorum in te ultimus tua est felicitas. Considera stupendam structuram in minimis, et maximis, fortitudo brachiorum tuorum, et si illam Samsonis aequaret, ut et portas civitatum ex cardinibus suis evelleres, et templorum columnas concuteres, nunquid sua initia a minutissimis nullo microscopio detegendis fibrillis habet? Et nihilominus tanta rapiditate machina agitur. Si quando in arte facto tenui filo suspensa moventur, id non aliter nisi lentissime fit: in te summa celeritate peraguntur stupenda: et tamen quantam crassitudine sua tenuissimum filum exordia nervorum excedit? etc. etc. etc. Et non dices opprobrium sempiternum intellectus humani esse, si quis homo rationis compos aliquando de existentia summe intelligentis, et sapientis authoris tum sui, tum rerum ipsum circumstantium serio dubitavit?

At casu ista omnia, et fortuito quodam elementorum concursu produci potuerunt. . . . Contra id vero, quidquid est in homine rationis, insurgit. Nam, si etiam non quaeramus, unde illa elementa sint, tu ne mensam quidem, in qua cibos capis, fortuito atomorum

rum concursu in hanc formam coaluisse credis. Et suspicari posset, tam admirabilem compositionem rerum, harmoniam, ordinem, dispositionem ad fines ex regulis certis ortum habere fortuitum a coecis atomis nullo intellectu, nulla ratione, sed motu tantum praeditis. Et unde, et quis ille motus? . . . Ambages labyrinthi, absurditates innumeræ in hoc errore.

At necessitate naturæ evenere omnia. Ergo necessario sunt, et necessario ita sunt, uti sunt; atqui nos ipsi tamen multas combinationes tollimus, et quotidie nostris oculis videmus, multas tolli; ergo combinationes necessariae non sunt, neque in his, neque in aliis corporibus (124). Et ipsa materia, ejusque vires unde sunt? Certe in ipsa, quomodocunque excutiatur, necessitatis nulla ratio, sed certae rationes contingentiae (211). Quin adeo, si detur ex certa elementorum mixtione ex calore, humiditate etc., enasci posse vi elementorum animalia, quin et homines, nunquid, si rationem consulas, omnijure interrogas, unde illa admirabilis vis materiae? Hoc facis, et recte, dum machinae alicujus ad regulas constructae effectus cum regulis consentientes intueris, inquiris scilicet in authorem, quem tibi non potes non repraesentare intelligentem, et prudentem, et hujus immensae, et tamen exactissimae machinae, consensionis tam admirabilis cum regulis authorem tu mortuam, informem sensu et intelligentia, carentem a nemine directam, et ordinatam materiam somniare poteris?

Au-

Argumentum, quod dicitur morale, ex omnium nationum consensu pro existentia Dei desumptum ab aliquibus iudicatur minus esse philosophicum ex his praesertim capitibus: 1) Si pro criterio veri in logica stabilitus sit ille consensus ex eo, quia alias error iste in conditorem naturae redundaret, aperte committitur circulus. 2) Si ex eo, quia alias ipsa ratio humana, qua talis nos in errorem induceret, hoc nequit probari: in errorem enim labimur, quia intellectus noster finitus est. 3) Si ex eo, quia tamen aliquid ex iis verum est, quod quidam homines iudicant, esse verum; ergo certe illud, quod omnes verum esse iudicant, retorsione de falsis iudiciis eliditur etc.

An idcirco, quia certa, et indubitata persuasio de existentia Dei per omnia saecula, omnesque nationes non omnino barbaras obtinet, haec cognitio inter ideas innatas haberi potest? Responzionem vide in subjectis §. 424.



CAPUT II.
ATTRIBUTA DEI.

P R A E V I A.

§. 446.

Attributa Dei vel deducuntur ex conceptu substantiae perfectissimae, et in existendo necessariae, et hinc a priori; vel ex mundo, ex opere scilicet concludendo ad perfectiones artificis, adeoque a posteriori; vel via utraque jungitur ita, ut deducta ex conceptu perfectissimae substantiae confirmantur ex iis, quae in rerum natura deprehendimus; vel inverse, ut perfectiones, quas in rerum natura tales cognoscimus, etiam in conceptu summae perfectionis inquiramus, an scilicet consistere cum eadem possint, nec ne.

Scholasticorum tres viae tribus his propositionibus exprimi possunt: 1) ad omnes substantias, vires, combinationes rerum, quae in mundo insunt, producendas, et conservandas in Deo est vis sufficiens. Haec ratio concludendi dicebatur ipsis *via causalitatis*. 2) Quaecunque in mundo deprehenditur realitas, aut perfectio, eadem, aut illi aequivalens, et infinite melior est in Deo.

Et

Et dicebatur ipsis *via eminentiae*. 3) Quaecumque in mundo est imperfectio, aut quodcumque, quod aut imperfectionem, aut limitem adnexum habet, illud eatenus non est in Deo, et dicebatur *via negationis*.


§. 447. Attributa Dei diversimode dividuntur pro diversa scilicet consideratione nostra. Sic quidam considerant Deum primo ut non est spiritus, deinde ut est spiritus, atque hinc attributa dividunt in ea, quae Deo conveniunt, quatenus consideratur ut spiritus. Alii ipsa attributa attendunt, et ea, quae ex sua notione non indicant actionem, adpellant *quiescentia*, quae vero actionem indicant, *operativa*. Iterum alii ex ipsis vocabulis attributa in *negativa*, et *positiva* dividunt. Nota est etiam divisio in praedicata *metaphysica*, et *moralia*: priora ad essentiam, posteriora ad liberam voluntatem referuntur, ac denique in *incommunicabilia*, quae creaturae communicari nequeunt e. g. immutabilitas, immensitas etc., et *communicabilia*, quae aliquatenus communicari possunt, e. g. intellectus, voluntas etc. Quenam ex his divisionibus melior sit, non decidam, id scio, cogitata hominum esse de Deo, interim insistemus ultimae.

§. 448. Cum Deus sit illa substantia, quae est causa harum rerum omnium, ipsa vero nullius causae effectus, quae est perfectissima in existendo necessaria, erit Deus infinitus, infinitate vera, ontologica (146, 147), omniaque ipsius attributa eadem infinitate infinita, ceteroquin si vel unum attributum esset finitum, Deus non esset infinitus. Ipsa haec infinitas Dei etiam inde confirmatur, quia nulla adest causa limitans,

tans, non in Deo, cum ipse sit necessario id, quod est; non extra Deum, cum ipse Deus sit causa prima.

Ex excellentia operis recte concluditur ad perfectiones artificis, estque rationi omnino consonum judicare, authorem hujus prae-
cellentis operis, scilicet mundi, eodem esse multo perfectiorem. Sed stricta tamen inde inferri nequit infinitas. Quanquam ea est excellentia divinorum operum, quae authorem infinitum non dedecet, possimusque ex iis ipsis prudenter conjicere, eum esse vere infinitum infinitate vera. §. 147.

Infinitas in Deo non est singulare ali-
quod attributum, sed omnium realitatum in Deo adfectio, si ita loqui licet, communis. Sic intelligentia Dei est infinita, potentia Dei infinita etc. Infinitum nequit quidem a nobis explicari: obstat enim, licet omnes realitates comprehendat, ejusdem simplicitas summa, incapacitas omnis amplificatio-
nis, imminutionis, discernitionis; obstant intellectus nostri limites; idcirco tamen male quis vetat homini studium in cognitionem Dei magis magisque penetrandi, imo vero vel ideo purissimas, et sublimissimas, quas possumus, cogitationes de Deo concipere tenemur.



S E C T I O I.

ATTRIBUTA DEI INCOMMUNICABILIA.

§. 449.

*I*ndependentia Dei est ea ipsius perfectio, vi cuius ipse omnium suorum praedicatorum interiorum est ratio sufficientissima, ita, ut in nulla re a Deo distincta sit aliqua ratio talis alicujus praedicati. Existit Deus independenter ab omni alia re (90), est independenter, quidquid ipse est (91); est enim independentia vera perfectio; hinc eadem enti infinite perfecto convenire debet. Et a quo quaeso dependeret, qui est causa prima? Sequitur inde, nullam determinatione internam actione alterius entis posse in Deo existentem fieri; adeoque Deum non posse pati (105); hinc nihil in ipsum reagit, nihil ipsi agenti resistit.

§. 450. *Unitas*, unicitas, singularitas Dei, est ea perfectio Dei, vi cuius excluditur omnis alterius entis aequalis, et earundem perfectionum consortis non tantum existentia, sed etiam possibilitas. Quod existentiam spectat, id quidem vel inde satis patet, quia plurium existentia superflua esset, cum unus et sibi, et omnibus rebus sufficientissimus sit. 2do. Quantum nobis de hoc mundo constat, videmus rerum omnium consensionem admirabilem, et perjurantem, et in iis, quae nobis de hoc mundo non constant, eandem prudenter conjicimus; hujus igitur totius unam, et singularem causam existere recte judicamus,
cum

cum tam admirabilis consensio cum pluralitate causarum efficientium ab invicem independentium conciliari nequeat. Impossibilitas plurium Deorum ostensa est §. 151, sequitur etiam ex §. 164. . . . Et si plures essent possibles, essent in indefinitum possibles; hinc et actuales (89, et 146); Quantus igitur Deorum numerus? Quo quid absurdus?

Oppositus veritati de unicitate Dei error *Polytheismus* dicitur, ab *idololatria* eatenus distinguendus, quod non omnis idololatra necessario sit polytheista, licet omnis polytheista sit idololatra. *Paganismus* magis erat idololatria, quam polytheismus. . . . Miror summopere, hoc adhuc tempore inter *Philosophos* Protestanticae religionis esse, qui immensum illud discrimen inter paganismum, et Catholicorum de cultu Sanctorum doctrinam vel nequeunt, vel nolunt videre. Sic ante non multos annos cl. MEYER in seiner natürlichen Gottesgelehrtheit pag. 144. aut Metaph. §. 877, exolitam calumniam, vel ex ipsa notione cultus toties refutatam resuscitavit, eandemque confidenter sustinet.

De duobus principiis, altero bono altero malo, qui error a *Zoroastre* Persa originem duxisse traditur, atque a Manichaeis adoptatus, ac varie immutatus fuit, in praelectionibus. Consensus ille, quem duo illa principia finguntur inire potuisse, ipsis impossibilis fuisset: nam vel bonus ille consensus, vel malus, aut neque bonus, neque malus. Si primum, inire illum non potuit prin-

principium malum; si alterum, inire non potuit principium bonum; si tertium, neutrum illum consensum inire potuit.

Si per unitatem intelligas inseparabilitatem determinationum entis (55), eadem est in Deo summa, et absolutâ, estque Deus secundum effatum Pythagorae monas summa, et absolutissima, ita, ut nulla realitas, nullus gradus realitatis, ab altero separari possit, quia alias negatio in ipso foret possibilis, atque ipse finitus esse posset. Hanc unitatem cum priore non debere confundi satis patet.

§. 451. Simplicitas Dei talis est, ut non modo ipse non sit compositus ex partibus substantialibus, sed ut nequidem pars aliqua compositi ipse esse possit. Sequitur ex §. 130. et ex notione infiniti.

Non igitur Deus est pars aliqua mundi, neque hujus anima, qualem mundi animam quidam Veterum statuerant; neque ipse habet corpus ullum, adeoque nec nostro simile, quod *Antropomorphitae* somniabant.

Mirum cogitatum! Monet quidam Philosophus caute in decidendo: an Deus sit compositus, nec ne, procedendum, quia compositum a nihilo magis distat, quam simplex. Nunquid a nihilo infinite distat substantia in existendo necessaria?

§. 452. *Aeternitas* Dei sita est in aeterna existentia ipsius scilicet tali, quae nunquam incipit, neque unquam desinere potest (176). Sequitur ipsa ex notione Dei (181). Praeterea certum

tum

tum est illud Veterum: *si jam aliquid est, fuit semper aliquid*; illud autem, quod semper fuit, initium non sumpsit, atque hoc ipsum ob quam causam desinere posset?

Aeternitas Dei non est tempus infinitum (144), est Deus ante omnes successiones, successio- nibus finitorum coëxistit, dum sunt, in ipso autem est nulla.

§. 455. *Immensitas Dei* est illa perfectio, vi cuius Deus ita in se existit, ut et existat ubi- que, si quid ubi detur. Hanc perfectionem Deo tribuendam esse, inde patet, quia omnis limes imperfectio est.

Per immensitatem Dei nequit intelligi extensio infinita: haec enim secum ipsa (144) et cum notione simplicis, qualis est omnis sub- stantia (127), pugnat. Neque per eandem potest intelligi spatium hoc mundanum: il- lud enim vel esset immensum, et jam eadem adsunt, quae ante, absurditates; vel non esset immensum, et tum nova in ipsis con- tradictio.

Ex male formato conceptu immensitatis, et spatii originem suam duxisse potuit *Pan- theismus*, sive error, statuens omnia esse unum, et hoc unum esse hoc universum, atque ipsum esse Deum, cum quo errore *Spinozismus* coincidit.

Immensitas quibusdam idem est, quod *incommensurabilitas Dei*, illa scilicet, ma- gnitudo Dei, ejusque attributorum, quam mensura nulla, nulla cognitio finita adaequa- re potest; estque hoc ultimo sensu idem,

N

quod

quod *incomprehensibilitas* Dei. Sola Dei infinita sui ipsius cognitio divinae magnitudinis est mensura, si hoc vocabulo uti licet, haec sola istam magnitudinem adaequat.

Omnipraesentia Dei, vi cuius Deus omnibus creaturis intime praesens est, est sequela immensitatis. Si per praesens alteri illud intelligatur, quod in aliud immediate influit, de omnipraesentia magis intelligibilia dici possunt, quam de immensitate eo sensu sumpta, quo in §pho describitur. Sed quis nos de veritate talis notionis praesentiae certos reddet?

§. 454. *Immutabilitas* Dei est illa perfectio, vi cuius Deus idem semper perstat, nullumque praedicatum internum ipsi adcedere aliquando, aut decedere, aut quacunque ratione augeri, aut minui potest. Sequitur ex notione necessarii (97, et 100) et infiniti (145).

S E C T I O II.

ATTRIBUTA DEI COMMUNICABILIA.

§. 455.

Vita Dei. Cum vita sit duratio naturae; natura autem Dei necessaria sit, et essentialiter incommutabilis, est talis et vita Dei, ipseque Deus solus ita immortalis, ut ipsum non vivere implicet, estque ipse omnis vitae fons. Si jam vita spiri-
tus

tus in actu secundo sita sit in conscientia sui, erit haec in Deo distinctissima, aeterna, incommutabilis etc.

§. 456. *Intellectus Dei* ex iis, quae facta sunt, saltem tantus esse debet, ut totum hoc universum sua cognitione comprehendat. Ex notione vero infiniti sequitur, eundem esse infinitum. Hinc 1) sua infinita cognitione se ipsum comprehendit. 2) Novit omnia actualia, et possibilis, omnem possibilem combinationem, omnem possibilem nexum. 3) Omnia illa, quae simul consistere nequeunt; adeoque et hoc sensu omnia impossibilia. Non vero, quasi Deus impossibilia, ut possibilis, falsa, ut vera, aut vice versa sibi repraesentare posset. 4) Omnia praeterita, et futura, tam illa, quae revera futura sunt, quam quae futura essent, si haec, aut illa conditio poneretur. 5) Novit Deus illa omnia actu unico simplicissimo: Si enim pluribus, hi vel sibi succederent, vel simul in eodem essent intellectu; non primum: ubi enim est successio, ibi est mutatio; haec autem enti necessario inesse nequit. Non secundum: nam si pluribus actibus sui intellectus Deus cognosceret, hoc vel esset ideo, quia unico non posset, aut nollet: primum ostenderet intellectum finitum. In altero plures actus essent superflui. Ille autem actus intellectus divini est simul simplicissimus. Nam actus compositus ex pluribus aliis consurgit. 6) Novit Deus omnia cognitione aeterna, et incommutabili. Cum autem scientia omnium, quae sciri possunt, sit *omniscientia*, scientia Dei omniscientia est.

Cum in Deo nullae sint variationes, nullaque cognitio ope alicujus externi in ipsum agentis oriri possit, ipseque sit simplicissimus, ac nullis constans membris; consequens est, in Deo nullam esse cognitionem sensualem. Cum praeterea Deus nullo indigeat, ex quo aliquid cognoscat, nullo indiget symbolo, hinc non habet cognitionem symbolicam, sed intuitivam; nullo eget ratiocinio, ratione infinita nexus omnes pervidens; nulla memoria, cui praesentia sunt omnia etc.

Scientia, qua Deus se ipsum, rerum possibilitates, omnemque veritatem necessariam novit, a Theologis *scientia simplicis intelligentiae*; qua res alias existentes, praeteritas, futuras, *scientia visionis*; qua illa, quae sub conditione futura sunt, *scientia conditionalium*, etiam *media* vocatur.

§. 457. Scientia, qua Deus futura sive necessaria, sive libera novit, dicitur speciatim *praescientia*. Hanc quidem Deo negaverunt, quia ipsam cum hominum libertate non posse conciliari judicabant. Alii eadem adserta libertatem negabant homini. Verum debet omnino etiam liberorum actuum futurorum praescientia in Deo agnoscī, nisi concedere velis scientiae infinitae aliquid adcedere posse, et reipsa adcedere, dum scilicet nanciscitur cognitionem illius actus tum primum, quando fit. Aut an forte futura cognosci nequeunt, quia nondum aliquid sunt? Utiq̄ue nobis nondum aliquid sunt, nisi possibile, hinc neque eadem cognoscimus, nisi, forte conjiciendo; sed in intellectu divino sunt et ipsa aliquid
 prae-

praesens; sunt partes mundi adcuratissime ab omni aeternitate cum reliquis singulis delineatae. Quaelibet creatura cum omnibus suis possibilibus actionibus, adeoque et cum iis, quas certo esset positura, intellectui infinito repraesentabatur ab aeterno. Sed nunquid tunc actum est de hominis libertate? Esset, si causa actionis humanae foret scientia Dei: sed non ideo homo agit, quia Deus praescit, sed ideo praescit Deus, quia homo agit; imo haec scientia nequidem certitudinem actionis, sed ista actio certitudinem scientiae faceret, nisi aliunde ex infinita perfectione necessario scientia Dei esset certissima; tantum abest, ut praescientia necessitatem inducat.

Quidam Deum futura praenoscere dicunt in rationibus determinantibus, quae rationes determinantes ab aliquibus ita concipiuntur, ut libertas evertatur, nihilque remaneat, nisi contingentia absoluta actionum. Novit Deus utique rationes omnes, ex quibus se homo libere determinaturus est; novit, quidquid ex, et in iis rationibus, sciri potest, sed illis tamen non indiget tanquam mediis cognoscendi, quae ipsi essent praemissarum instar. Alii omnia Deum praenosse in suis decretis; alii immediate in rebus ipsis contendunt. Potest dici, ipsum nosse in utroque: singuli enim possibles mundi distinctissime a Deo cognoscuntur; hinc etiam omnes actiones in iisdem eventurae, si conderentur; adeoque etiam singulae actiones in hoc mundo eventurae in semetipsis cognoscebantur a Deo; decerevit hunc nondum condere decreto aeterno, adeoque etiam in
hoc

hoc suo decreto novit, quae futura sunt. Scilicet dum concipis mundum possibilem, novit Deus omnia, quae in eodem futura essent, dum concipis actualem; qualis sine voluntate Dei esse non posset, et per ipsam solam est, novit Deus, quae revera futura sunt. Quanquam, quo modo Deus cognoscat, scire homo nequit.

§. 458. *Scientia nexus finalis dicitur sapientia generatim, scientia ipsorum finium sapientia speciatim et scientia mediorum prudentia.* Cum Deus sit infinite sapiens, et prudens, novit omnes nexus finales, omnes fines optimos, et minus bonos, etc. optima media, et minus bona etc.

§. 459. *Voluntas Dei.* Ad perfectiones spiritus certo pertinet, se ex suis repraesentationibus ad actiones determinare posse; pertinet item, hoc posse pro lubitu; habet igitur Deus utroque sensu voluntatem (388, 410) et quidem perfectissimam, quia in ente infinite perfecto imperfectionis nihil inesse potest.

Cum Deum non audeamus concipere, ut coeagentem, nil vetat, quo minus datam notionem voluntatis etiam givinae adplicemus: neque enim aliud huiusmodi hic dicere volumus, quam Deum, quidquid agit, aut agere potest, etiam cognoscere.

§. 460. Cum voluntas Dei sit perfectissima; esse non potest, quin ipsa accuratissime consentiat cum reliquis perfectionibus omnibus, hinc et cum omniscientia, et sapientia.

Si igitur sapientia theoretice spectata consistat in cognitione nexus finalis, ipsorum finium, et mediorum, eadem practice considerata non poterit in alio reponi, nisi in elatione, aut, si mavis, determinatione, designatione finium etc. adeoque haec summe perfecta in designatione finium, et mediorum optimorum possibilitatem. Sive: summe sapiens, summe perfectam habens voluntatem, si eligit e pluribus possibilibus, summae sapientiae convenientissime eligit; est autem huic convenientius eligere, quod melius pro illo, quod minus bonum est (aut e quo demum sapientia practica dijudicabitur?); adeoque eliget optimum possibile, si quid eligere vult.

Repugnat omniscientiae, et perfectissimae voluntati quidquam adprobare, quod improbandum est, et v. v. etc.; repugnant turbulentae adpetitiones, et aversationes, adfectus, lucta voluntatis cum ratione etc. Haec enim omnia vel imperfectam cognitionem, vel imperfectam voluntatem, aut utramque imperfectam arguunt; in Deo igitur locum non habent.

§. 461. Libertas est certa species independentiae a principio necessitante, et haec independentia est possibilis, et certe perfectio, et necessaria in ente secundum omnem possibilem rationem independente. Deus igitur liber est libertate possibili perfectissima. Libertas vero est adfectio voluntatis; adeoque voluntas Dei est liberrima.

Cum Deus sit necessario id, quod est, nequit circa aliquam sui perfectionem esse liber, nequit ullam augere, nequit se magis perficere essentialiter infinite perfectus, cumque in ipso necessario insint rationes summi amoris sui ipsius, summaeque complacentiae, neque circa haec liber esse poterit. Nihil igitur restat, circa quod liber sit, nisi res extra ipsum producendae, aut productae. Volitio, qua Deus in se ipsum tendit, actio *inmanens*, actus *internus* divinae voluntatis dicitur, estque necessaria. Quatenus autem divina volitio pro objecto habet res extra Deum, actio *transiens*, actus *externus* eadem adpellatur, et eatenus est libera libertas omnem imperfectionem excludere. Volitio divina, quae versatur circa res extra Deum positas, etiam *decretium* dicitur; ac modo adpellatur *positivum*, adprobant, quo Deus bona vult, modo *permissivum*, quo mala permittit; modo *universale*, in relatione scilicet ad totum universum; modo *particulare*, in repectu ad partem aliquam hujus totius.

Sed quid? Potestne adhuc subsistere libertas, si Deus vi summae convenientiae, quae etsi inter perfectissimam voluntatem, et infinitam sapientiam, inter possibilia plura systemata, si quod ex illis velit actuale, velit optimum? R. Omnino: neque enim necessario vult, sed liberrime, licet, si quod ex illis libere velit, necessario velit optimum: neque enim in Deo, neque extra Deum ullum est principium necessitans ad volendum hoc optimum systema finitorum. Nam si in Deo

tale



tale quid foret, esset in ipso ratio ad summam perfectionem, et felicitatem exigens existentiam rerum a Deo distinctarum; esset igitur in Deo defectus, qui per existentiam rerum finitarum expleri deberet; repugnat autem hoc tum respectu Dei, tum ratione finitorm. Neque etiam in ipso systemate optimo tale quid necessitans inesse potest: ens enim omnino independens nequid ab alio, a se distincto dependere; dependeret autem ab illo principio extrinseco necessitante. Ulterius: tale principium necessitans aliud concipi nequit, quam solum systema optimum, repraesentatum ut optimum; si ergo hujus representatio Deum necessitaret ad productionem, foret vel ideo, quia claritas cognitionis divinae per existentiam talis systematis augetur, vel quia augetur complacentia Dei in repraesentatione hujus ipsius systematis jam producti; neutrum dici potest; nam primo claritas cognitionis divinae per existentiam rerum augeri nequit: ceteroquin produceret aliquid, quod ante clare non cognovisset etc. adeoque secundo nequit augeri complacentia; cum enim distinctissime ab aeterno omnia cognoverit Deus, nihilque sit, aut esse possit, quod non cognoverit, nulla ratio augmenti complacentiae superest, utpote quae cognitionem sequitur. A nobis hic ad Deum argumentari non possumus: nunquam enim repraesentationes possibilis tam clarae, tam constantes nobis sunt, quam existentis, hinc conamur illa, quae in idea placent, facere actualia, ut et claritas

cognitionis, et nostra complacentia augeantur, ac stabiliores reddantur.

Verum nunquid hac ratiocinatione evertitur fundamentum illius doctrinae, quod Deus velit optimum? *B.* Nequaquam: hoc enim fundamentum hic loci est perfectissima convenientia liberrimae voluntatis cum summa sapientia, vi cujus conformiter rectae rationi inferimus, Deum, quae meliora ratione totius systematis novit, quodque integrum systema ut melius cognoscit, non postponere deteriori, ipsum magis probare, et aestimare id, quod melius est; adeoque etiam, si quod ex iis systematibus possibilibus velit existens optimum velle. Impetrare a me non possum, ut ad perfectiones entis libere agentis referam potentiam eligendi minus bonum, et multo minus, ut judicem enti summe intelligenti, et perfectissima voluntate praedito convenire, ut relicto meliore designet existentiam minus boni systematis, licet neutro actuali indigeat. Potuit Deus velle, potuit non velle existere optimum finitum ab omni necessitatione liber; sed, dum voluit existere finitum, non potuit non convenientissime suis perfectionibus velle, non potuit non velle existere optimum. Quae quaeso effingi potest ratio, quare Deus, relicto meliore toto, potuerit velle existere deterius? Noli obsecro imprudentem petulantiam imperfectarum in actionibus suis substantiarum objicere. At vero ratio eligendi sufficiens est ipsa volentis electio, inquit non nemo. Sit ita: sed an idcirco etiam est ratio sufficiens electionis sapient-

pienter institutae? An ideo bene electum, quia electum? . . . Eratne igitur in se melius, et perfectius, mundum condi, quam non condi? . . . Quaestionem hanc, quoniam non est satis determinata, ante determinemus. Bonum in se, sive absolute tale aliter concipi nequit, quam ipsum esse tale, quod in suis essentialibus ita comparatum est, ut cuivis enti saltem rationali perfectionem conferre possit. Jam, an in se melius sit mundum condi, quam non, poterit primo intelligi hoc sensu: estne in hujus acitionis essentialibus, qua Deus mundum possibilem voluit existentem, aut in illius consecrariis tale quid, quod Deo perfectionem conciliare potest? . . . Adfirmari hoc non poterit, nisi necessitas, et aeternitas mundi non tantum optimi, sed cujuscunque boni admittatur; estque illud ipsum in paulo ante dictis satis refutatum. Scilicet perfectissimus Deus, perfectissima ipsius voluntas perfectior reddita non est, dum subjective perfectissime voluit mundum existentem. Poterit secundo quaestio intelligi hoc sensu: estne in essentialibus creationis, ejusque consecrariis aliquid, quod creaturis perfectionem confert? Utique sensu, et maxime ratione praeditis: sed earundem bonum, et perfectio Deum non poterat necessitare ad ipsas condendas. Aliud non video, quid ista interrogatione prudenter quaeri possit. Fingamus jam me omissione alicujus actionis, cujus objectum bonum aliis, non mihi, non reddi deteriorem, quia nulla ad istam ponem.

nendam in me obligatio, nulla indigentia: possumne nihilominus illam actionem ponendo errare? Possumne adhuc imprudenter in mea actione procedere? Non dubito, quin ita. At Deus nequit errare: rectissime. Sed quare? . . . Deus etiam tum, quando liberrime agit, nequit imprudenter agere: optime: sed quare? . . . Re igitur mature discussa, eademque sine partium studio dijudicata, quae a multis defenditur, doctrina de mundo optimo ita non est inimica divinae libertati, ut contra summae ejusdem perfectioni sit amicissima.

Major est difficultas in concilianda libertate cum aeterna immutabilitate. Sed cum et libertas, et immutabilitas verae perfectiones sint, simul consistere possunt, et ente summe perfecto inesse debent; dicendum igitur Deum ab aeterno sine omni necessitatione, hoc est, liberrime voluisse, quae extra se voluit, eademque propter summam immutabilitatem in aeternum velle: velle ipsa actu unico simplicissimo divinae voluntatis ob easdem rationes, ob quas actu unico simplicissimo omnia novit (456). Haec divini decreti immutabilitas nostra studia, labores, dispositiones, preces, et supplicationes inutiles non facit: scit enim ipse, quae acturi sumus, suaeque scientiae, et sapientiae conformiter decreta tulit.

§. 462. Actus liber divinae voluntatis, quatenus ipse est determinatio interna, nequit ullam habere imperfectionem, sed est necessario perfectis-

etissimus. Perfectio actionum liberarum bonitas moralis, *rectitudo* earundem dicitur. Actiones igitur liberae Dei rectissimae sunt, et ipsa voluntas rectissima. Ex rectitudine autem actionum liberarum *sanctitas moralis* cognoscitur; voluntas igitur Dei est sanctissima.

Sanctitas *physica* sita est in rectitudine actionum necessariorum, et hanc in Deo summam esse necesse est. Sanctitas moralis aequae Deo necessaria, et essentialis est, atque physica; est enim aequae impossibile, ut Deus agat non sancte moraliter, quam non sancte physice. Hinc, licet Deus nunquam aliquid extra se fecisset, esset tamen moraliter sanctissimus, quia etiam liberrimae ipsius actiones, si quas suscipere vult, non possunt non esse rectissimae. Facta igitur praecisione ab actionibus actualibus liberis sanctitas Dei moralis est illa divinae voluntatis perfectio; vi cuius Deus necessario optime moraliter vult, si quid libere vult. Haec necessitas libertati non obest, quod adversarii optimismi concedere debent: ecurr igitur necessitas vi sapientiae eligendi optimum libertati obesset, cum ipsi eligere, sicuti aliud quiddam agere, liberrimum sit? Ex hac sanctitate sequitur, Deum non posse malum morale adpetere, aut adprobare, sed ipsum unumquodque tale malum odio perfectissimo, et quantum ad illud malum pertinet, eidem accuratissime proportionato necessario aversari. Contra bonum morale perfectissime, et quantum ad id bonum pertinet eidem proportionalissime adprobare, et amare etc.

§. 463. *Bonitas Dei est propensio divinae voluntatis ad benefaciendum illis, quibus bene fieri potest; hinc etiam bonitas hic loci non distinguitur a beneficentia.* Bonitas certe vera perfectio est. Ceteroquin Deus nequidem bona largiri posset, a quo tamen omne verum bonum. Et nunquid nos inter homines propensam ad benefaciendum voluntatem perfectiorem judicamus altera; in qua propensio illa deest? . . . Cum jam in Deo omnes perfectiones infinitae sint, est et bonitas infinita.

Ob infinitam hanc, necessariam, et aeternam bonitatem Deus non est necessitatus ad creaturas condendas, ut scilicet essent, quibus benefacere posset. Potest enim usque adeo in homine esse bonitas, licet desit, cui actu benefaciat, estque adhuc perfectio. Ipsum beneficium est effectus, qui in bonitate eatenus rationem habet, quod non proficiscatur nisi ab illo, qui propensam ad benefaciendum voluntatem habet, qui tamen ipse ex hac sua propensione se ad conferendum beneficium libere determinat. Imo de beneficiis ita solemus sentire, ut nequidem, quae necessario fiunt, etsi bona sint, inter beneficia referamus. Dei igitur bonitas ab aeterno in aeternum subsistere poterat, quin ullam creaturam produceret. Determinavit ipse se ab aeterno ex hac sua bonitate ad creaturas condendas, atque ad ipsis benefaciendum; summa autem ipsius quoadres externas, earum perfectiones, et felicitatem independentia (461) ostendit, et liberrime Deum condidisse creaturas, et liberrime iis, quibus benefieri potest, benefacere.

Qui

Qui mundum hunc esse optimum defendunt, etiam in bonitate Dei se rationem suae sententiae reperire judicant. Sic autem ratiocinantur: summe bonus, dum etiam liberissime suam bonitatem impendit, tantam impendit, quantam impendere ipsam finitis rebus potest: neque enim est ratio, cur eandem in gradu aliquo minore impenderet, quam in maximo possibili, nisi forte, quia nollet; atqui jam non foret summe bonus erga creaturas, dum tamen esse posset; condendò autem mundum omnium optimum suam bonitatem tantum impendi, quantum eadem finitis rebus impendi potest; in idea enim mundi optimi est capacitas finita maxima omnium perfectionum finitarum maximarum in systemate finito uno simul et successive compossibile; dum igitur talem cum suis perfectionibus, quarum capax est, producit Deus, tantum benefacit, quantum finitis benefieri potest. Recte itaque concluditur, summe bonum Deum, dum libere mundum aliquem voluit, secundum perfectiones bonitatis practicae optimum voluisse.

§. 464. Quoniam Deus infinite bonus simul infinite sapiens est, suam bonitatem aliter applicare, si ita loqui licet, sive administrare nequit, nisi sapientissime. Bonitas sapienter administrationis est *justitia*; Deus est justissimus.

Justitia Dei duplici modo consideratur: primo quatenus bene merentibus praemia confert, *justitia remunerans*; secundo quatenus male merentes punit, *justitia vindicans*, puniens.

Justi-

Justitia Dei est omni ex parte perfectissima; hinc 1) Deus nemini justitiam deneget. 2) Non est *acceptor personarum*, sed summe *impartialis*. 3) Non punit, nec praemiatur, nisi optima occasione, sive est *longanimis*, et summe patiens. 4) In puniendo neque nimia severitate, neque nimia lenitate peccare potest. 5) Si condonat, fit id non tantum sine detrimento totius suae civitatis, sed in ipsius emolumentum. Item si punit, si praemiatur, si beneficia cuicumque demum largiatur, primo bonum totius intendit, ac tantum singulorum, quantum ipsius Dei perfectiones permittunt etc.

Estne contra bonitatem Dei constitutio poenarum aeternarum? R. Utut certissimum sit, Deum interitum suarum creaturarum in earum creatione non intendere, nec intendere posse ob perfectissimam suam bonitatem, nihil omnino cum eadem ipsa talis constitutio consistere potest; potest illam sanctitas, et sapientia postulare. Nam Deus, cum perfectissime bonus sit, cujusvis creaturae suae rationalis felicitatem tantam cupit, quanta possibilis est, et tantam totius suae civitatis, quanta possibilis est, ita tamen, ut totius felicitatem civis alicujus particularis felicitati praeferat. Et bonitas, et sanctitas omnem remotionem mali moralis sine detrimento civitatis totius possibilem postulant, et sapientia media ad hunc finem efficacissima. Jam esse potest, ut neque singulorum civium, neque civitatis totius felicitas alia meliore ratione sine totius detrimento obtineri possit; quam

quam constitutione perpetuarum poenarum in contumaces rebelles, nulloque medio efficaciore sine majore totius detrimento mala moralia impediri possint, quae ipsa maxime felicitatem creaturarum rationalium destruunt. His igitur convenientissime sapientia medium istud determinavit. Nunquid princeps humanus perpetuo, quantum in ipso est, exilio mulctare potest rebellem, quin contra bonitatem peccet, imo nunquid bonitas, quam toti civitati debet, hoc quandoque postulat? Cur igitur rebellem sibi non posset salva summa bonitate imò eidem convenientissime, perpetuis poenis addicere Deus? Qui putant, illas poenas ratione delicti nimis graves rectam divinae majestatis ideam animo non informarunt, nec scient, quid ad felicitatem totius civitatis Dei promovendam, et obtinendam convenientissimum sit. Qui putant, illas poenas postea inutiles fore, adeoque Deum post certum tempus illos impios annihilaturum, aut pro sua bonitate felices redditurum, cogitent, usque adeo memoriam exercitae justitiae ad continendos in officio cives, principisque justitiam commendandam multum valere, adeoque multo magis stans in sempiternum vivum exemplum, etc. Paucis: qui dogma christianum de aeternitate poenarum ex ipsa Dei bonitate impugnant, illam vel nulla ratione administrari, vel tali volunt, quali suam nequidem in sua familia, sine ejusdem detrimento impendere possent. Fingo talem poenam propositam tuis subditis, cujus exi-

tus demum statum poenas subeuntibus optatissimum induceret, continebisne in officio tuos? Jam quid impiis foret optatius, quam aut aeterna post poenas per tempus exantlata felicitas, aut nullus postea poenarum sensus? . . . Profecto, si consideremus homines, quales ab exordio suo hucusque fuerunt, nunquid cogimur fateri, et ad hanc temporariam, et maxime ad securam felicitatem comparandam constitutionem poenarum aeternarum esse necessariam? Mitigatio poenae mortis a majoribus in certa quaedam delicta statutae, et ejusdem in aliam poenam mutatio nunquid illa vitia frequentiora effecit? Quid putas eventurum, si contra veritatem certam christiani dogmatis hominum animos pervaderet error, poenas post hanc vitam non fore aeternas? Atqui benignissimus Deus et hanc nostram, et securam felicitatem ardentissime cupit mediis optimis obtinendam; non igitur illa constitutio cum bonitate Dei pugnat, sed eidem convenientissima est.

Pronitas Dei etiam *amor erga creaturas* dicitur, cujus notio a notione bonitatis nihil differt (407) item *miser cordia*, quae est amor erga miseros; *gratia* Dei, quatenus beneficia etiam sine creaturarum meritis ipsis con confert. *Fidelitas* Dei, quatenus amor ipsius constans est.

§. 465. *Sinceritas* Dei est bonitas ejus in mente sua significanda. Est in Deo summa, dum ipse paratissimus est ad suam mentem signis ap-
tis-

tissimis significandam creaturis, quantum ipsarum felicitas postulat, et summa Dei sapientia suadet. Sinceritas in sermone est *veracitas*. Deus est veracissimus, adeoque nequit mentiri, et propter summam sinceritatem etiam nullo alio signo decipere quenquam potest.

Non detrahit quidquam de summa perfectione divinae sinceritatis permissio erroris circa sensum signorum, dum scilicet quidam aliter, atque mens ipsius Dei est, eadem signa interpretantur: non enim Deus illos, sed ipsi se decipiunt. Si tamen error ille foret universalis, et nec facile deponendus, felicitati- que humani generis noxius, bonitas Dei videtur postulare, ut hunc errorem creaturas rationales sufficienter dedoceat. Ad hoc autem necesse non est, ut quemlibet errantem ipse perse immediate instruat: A principe terreno certe non exigeres, ut ipse per se immediate quemlibet suorum subditorum rectum, et a se intentum legis sensum doceret in casu, quo omnes sensum alium legis intellexissent, sed sufficeret, si quibusdam sensum, illum indicavit, qui alios ipsum docerent, et a quibus alii rectum sensum cognoscere possent. Qui igitur modo audet singularis homo immediatam instructionem ab ipso Deo postulare?

§. 466. *Felicitas*, beatitas Dei constituitur ex complexu suarum perfectionum, earundemque magnitudine, et quatenus eadem subjective spectatur, est voluptas Dei, qua ex infinita cognitione infinitarum suarum perfectionum perfundi-

tur (397). Est Deus in aeternum felicissimus, et beatissimus.

§. 467. Excessus perfectionum entis, quo unum suis perfectionibus perfectiones alterius superat, determinat *sublimitatem* entis. Cum perfectiones Dei omnium aliorum entium omnes perfectiones infinite excedant, sublimitas Dei infinita est.



CAPUT III.

ACTIONES DEI TRANSEUNTES.

PRAEVI A.

§. 468.

Actio Dei transiens (461) est libera Dei actio, qua aliquid extra se facit existens. Haec actio nihil aliud est nisi volitio: neque enim Deus aut motu substantiae suae, aut impulsu quodam, aut attractione etc. agere potest. Nulla etiam ratio agendi extra se Deo magis conveniens concipi potest, quam ipsum volendo immediate efficere, quidquid effectum vult. *Dixit (voluit), et factum est.*

Actiones Dei transeuntes sunt *creatio*, et *providentia*, et quae ad has pertinent.

§. 469. Vis, quae in se spectata omnibus possibilibus extra se producendis sufficit, est *omnipotens*; et ipsa potentia est *omnipotentia*. Vis infinita (149) est etiam *omnipotens* (150); Dei vis est infinita; ergo etiam *omnipotens*. Cumque Deus extra se solum volendo agat, voluntas ipsius ad omniaabilia producenda sufficit, et haec sufficientia est *omnipotentia*.

S E C T I O I.

CREATIO, ET CREATIONIS FINIS.

§. 470.

*C*reatio est actio, qua causa efficiens nondum existentem, sive tantum possibilem substantiam facit existentem (150).

Displicet haec creationis notio illis, qui possibilitatem aeterni mundi defendunt: ajunt enim, jam tum in ipsa notione exprimi initium, de quo tamen ipso quaeritur: scilicet, an necessario, quidquid creatione fit, incipiat esse. Quare creationis conceptum formant hunc: *Creatio est actio, qua causa efficiens aliquid ex nihilo operatur.* Intellegunt utique actionem, qua substantiae fiunt existentes. Neque enim quisquam accidentia creari proprie dicit. Huic suae notioni conformiter ita arguunt: sine initio operatur Deus intra se suam cognitionem, amorem etc.; ergo dum aliquid operatione causae efficientis existentiam habet, non sequitur, id necessario habere initium. . . . Fateor difficultatem hac in re esse fere insuperabilem. Verissimum est, Deum aequae parum potuisse non existere, quam ipsum existentem potuisse non agere; hinc etiam adpellatur ab aliquibus *actus purus*, et quidem ab aliis *intellectus*, ab aliis *caritas*. Sed hae operationes Deo essentiales sunt, necessariae,
et

et infinitae, illarumque objectum, in quo, si ita loqui licet, terminantur, necessarium, scilicet Deus ipse, et quod ad omniscientiam attinet, etiam rerum possibilitates itidem necessariae. At his operationibus extra Deum nihil producitur, aut, si hoc vocabulo uti nolis, nihil extra Deum suam habet existentiam. Cognitio, amor, omniscientia etc. non sunt substantiae a Deo distinctae, sed determinationes internae, necessariae Dei, infinitae, quae nequidem initium habere possunt, et sine quibus Deus esse non potest, neque ipsae possunt proprie dici fieri, promanant potius ex necessaria activitate vis infinitae ab aeterno in aeternum perstantes. . . .

Aliter dicendum de creatione sive productione substantiarum finitarum: nam, licet voluntas divina mundi condendi, utut libera, aeterna esse debuerit, habebat ipsa tamen objectum finitum, in existendo non necessarium, adeoque imo tale, quod certe poterat habere initium; 2do, quod debebat produci, ut esse posset; neque enim mundus est ulla determinatio interna Dei (221); neque ex essentia Dei, aut necessaria ejusdem activitate dimanat, ob contingentiam mundi, ob infinitatem etc. Dei, neque ex semetipso esse poterat; debebat igitur ex non existente fieri existens; ceteroquin, si extitisset, fieri non potuisset, necessario igitur mundus, et quaevis substantia finita existens habuit initium (222). Atque hujus necessarii initii ratio non activitate Dei, non praecise in eo, quod actione existentiam habeat,

beat, sed in essentia finiti est, quod proprie fieri, produci debet, ut esse possit. Et nunquid, si finitum aeternum possibile esset, jam possibilis esset numerus infinitus/successionum, ipseque in hoc mundo, si sine initio esset, foret actualis; non igitur augetur successionebus, quae singulis momentis adduntur; quod cum absurdum sit, ostensumque praeterea sit; talem numerum implicare (144); recte concluditur, finitum sine initio existendi existere non posse; adeoque cum creationis objectum non possit esse aliquid infinitum, sed necessario sint substantiae, data creationis notio, sensui communi etiam conformior, retineri omnino potest, quin peccetur contra principia Logicae (Log. §. 96.), illaque satis tuta sunt, quae §§. 150, 178, et 122 dicta sunt.

§. 471. Creavit Deus mundum libere volendo non tantum existentiam substantiarum finitarum, sed etiam connexionis, et dispositionis, sive *formae*, quatenus haec per vires substantiis inditas haberi non poterat. Primum ex §§. 220 et 223; alterum ex §. 461; tertium ex §. 463; et quartum ex ipsis terminis patet, quia, cum actione substantiarum finitarum in illam formam venire partes mundi non poterant; in qua sunt, et hanc formam a Deo esse, necesse est, idque non tantum intelligendum est de integro quodam systemate planetario, sed de aliis corporibus e. g. animalium, plantarum etc. deque eo omni, quod talem formam sola substantiarum finitarum actione obtinere non poterat.

Illam,

Illa, quae jam fiunt in efformatione talium corporum, consistunt in evolutione partium, quae jam tum in subtilissimis suis rudimentis propriam formam habent, quae ut conspicua fiat, istarum partium evolutio, ad accessusque materiae huic corpori destinatae secundum descripta lineamenta requiritur. Cum jam evolutio illa ab ipsis substantiis finitis peragatur; hinc inde impediri, distorti potest, ipsa autem *forma prima* non minus, quam materia, a Deo est, qui fecit nos.

Sed si Deus volendo mundum condidit, volitioque divina aeterna sit, cur non mundus aeternus? R. Ita Deus mundum ab aeterno voluit, prout ipse erat possibilis et prout eundem velle sapientiae divinae etc. conformius erat; si igitur mundus aeternus est impossibilis, aut si possibilem fingas, ubi tamen talis mundi productio sapientiae divinae minus conformis erat, aeternum mundum Deus velle non potuit. Eadem est responsio ad interrogationem, cur non plures annorum milliones existencia mundi jam duraverit? Scilicet voluit Deus mundum tum incipere, dum erat convenientissimum divinis perfectionibus, et mundo; mundusque dum incepit, incepit simul tempus, hinc frustra ante mundum conditum tempus quaeritur. Ceterum ex ratione scire non possumus aetatem mundi, hoc est, multitudinem successionum, quae in partibus mundi hucusque se exceperunt. Non desunt, qui historiam de mundi exordio intelligendam putant de iis mundi partibus, quibuscum homines
in

in majore connexionione sunt, non vero de toto universo, utpote quod latius patet, quam homines cogitationibus suis adsequi valent. Verum conjectura haec et incerta est, et nobis adhuc parum utilis.

§. 472. Dum Deus mundum condidit, ad certos fines substantias singulas condidit, ita tamen, ut omnibus sit praefixus finis communis, et ultimus, omnesque illi fines bonum aliquod sunt. Consequuntur haec ex divinis perfectionibus: nam summe sapiens nihil agit frustra, summe bonus, et sanctus finem actionis nequit habere malum, omnes actiones ipsius habent fines optimos posibles; dumque possibile, et melius est, si singula alicujus systematis habent fines, et in optima subordinatione et connexionione omnia simul finem communem, qui tandem ultimus esse debet, etiam Deum singulis suos fines et omnibus communem, et ultimum praefixisse, dubitari nequit.

Non omnes fines a Deo constituti nobis impervii sunt: certe ne existentiam Dei quidem scire possemus, id si esset verum. Scire possumus multos fines, licet speciales plurimi a nobis nondum possint detegi, multos etiam re ipsa scimus, tam quod spectat vires corporum, quam spirituum. Sic novimus, quam utilitatem nobis praestent plantae, multa bruta animantia etc. novimus, quem in finem animae nostrae datae sint suae facultates etc. Dubium non est, quin illae vires corporibus, atque istae facultates spiritibus ad illos fines datae sint, et quin Deus ipse hos fines intenderit. Nunquid etiam ad

rectum usum rerum nos circumstantium, facultatumque nostrarum necessarium est nosse fines, ad quos sunt?

§. 473. Finis creationis communis, et absolute ultimus est manifestatio divinarum perfectionum, sive gloria Dei externa. Cum enim illud finem agentis adpellemus, quod agens actione sua consequi intendit, illud vero finem communem, quod praefixum est singulis, illumque finem dicamus ultimum, ultra quem non datur alius; erit manifestatio ille finis; si ita autem esse arguitur

- 1) ex aptitudine singularium partium mundi, nexusque inter easdem: praedicant enim omnia potentiam, sapientiam, bonitatem etc. divinitatis?
- 2) Ex sapientia Dei: sapiens enim, dum ponit medium ad finem aptum, et hunc finem vult; sunt autem, quae condita sunt ad manifestandas divinas perfectiones apta. 3) Ex perfectissima voluntate Dei, vi cuius Deus, si quid etiam libere vult, vult optimum; nihil autem divinis perfectionibus, earumque manifestatione melius, nihil etiam ultra illam positam, quod Deo externum esset; adeoque et ipsa est ultimum bonum, ad quod obtinendum reliqua bona sunt media.

Manifestationem divinarum perfectionum esse verum bonum, certum est, sed non est bonum aliquod Deo internum, quo scilicet internus Dei status perfectior reddi posset; sed est bonum, ut ajunt, externum Dei: cognoscitur scilicet a creaturis rationalibus, amatur, reverentia eidem exhibetur, et obedientia etc. quae singula bona sunt, adeoque aeterna divinae complacentiae objecta; poterat
igi-

igitur Deus illa etiam velle actualia, et finem ultimum creationis, ac universalem intendere, eratque hoc sapientiae et bonitati ipsius convenientissimum, cum ipsa glorificatio Dei sit bonum maximum extra Deum possibile, licet ipsius in suis perfectionibus complacencia, et adquiescentia non augeatur aucta glorificatione externa, nec imminuatur eadem imminuta (461 in not. 2.).

§. 474. Deus inter reliquas creaturas omnes ad se glorificandum maxime aptas fecit creaturas racionales: hae enim solae agnoscere, amare, revereri etc. Deum possunt, et habent in se ipsis plurima, ex quibus singulae tum ex se ipsis, tum ex aliis plures perfectiones Dei cognoscere possunt, quam ex creaturis non rationalibus; ergo et certum est, ad hunc finem creaturas racionales prae reliquis conditas esse.

Philosophi multi non gloriam Dei, sed creaturarum rationalium felicitatem finem ultimum creationis esse contendunt. Verum harum creaturarum felicitas est aliqua tantum totius mundi perfectio, perinde sicuti creaturae racionales sunt aliquae partes mundi, ex quibus uti multae possunt cognosci perfectiones divinae; sic harum summa felicitate potest aliqua etiam ratione cognosci felicitas Dei, et ex creaturarum acquiescentia, et voluptate, demtis imperfectionibus, voluptas summa Dei; felicitas igitur creaturarum rationalium est aliquod medium cognoscendae felicitatis divinae, non autem totius operis finis universalis, et ultimus: ceteroquin reliquae par-

partes totius essent propter unam totius partem, atque ipsum totum finem praefixum non haberet. Est equidem verum, felicitatem creaturarum rationalium a glorificatione Dei adeo sejungi non posse, ut tum primum creatura rationalis vere felix sit, si vere glorificet Deum, hoc est, si conformiter verae, rectaeque de Deo cognitioni actiones suas instituat (finem enim, ad quem est, eo tunc magis adsequitur); adeoque per easdem actiones, per quas Deum glorificat, felix ac beata sit, et vice versa, per quas beata est, Deum glorificet; nihilominus glorificatio Dei et majus bonum, et magis late patens est, quam sola creaturarum rationalium felicitas, est etiam unicum bonum, quod potest esse finis NB. totius mundi. Est utique creaturarum felicitas etiam finis aliquis a Deo intentus, sed intermedius, ultimo proximus, ita, ut vere dicere possimus, res reliquas Deus condidit ad felicitatem creaturarum rationalium; sed tamen ipsas simul cum rebus reliquis ultimo ad manifestandas suas perfectiones non ex ambitione, uti quidam inepte objiciunt, sed ex ipsis suis perfectionibus, et maxime ex sapientia, et bonitate: scilicet, quia sapiens, voluit finem communem optimum: quia bonus, voluit libere bonitatem suam creaturis communicare.

§. 475. Non potest manifestatione infinita per aliquem mundum se manifestare Deus. Nam mundus ille deberet esse infinitus; talis autem implicat (213); ergo et implicat manifestatio infinita per mundum; adeoque est definitus gradus
ma.

manifestationis divinarum perfectionum, ultra quem ipsae per mundum manifestari non possunt. Non ex defectu divinarum perfectionum, sed ex defectu mundi, et creaturarum cognoscentium, quae potentia creaturarum cognoscendi, uti et mundus infinita a Deo effici nequeunt.

§. 476. Non possunt per quemcunque mundum in gradu aequali perfectiones divinae manifestari. Nam mundus quicumque est definitum medium ad perfectiones divinas in gradu definito manifestandas; sed si medium tantum sufficiat ad hunc gradum, vi hujus praecise medii altior gradus obtineri nequit, atque hoc non ex defectu applicantis, sed ex defectu medii; ergo per quemcunque mundum in gradu aequali perfectiones divinae manifestari non possunt, scilicet imperfectior mundus ita ex se commendare potentiam Dei etc. nequit, quam perfectior.

§. 477. Per mundum perfectissimum magis manifestari possunt perfectiones divinae, quam per ullum alium mundum. Nam in mundo omnium possibilium perfectissimo sunt omnes posibles perfectiones in omni possibili gradu, quae et in quo gradu in mundo ad ejus perfectionem totalem summam esse possunt (232), per talem autem mundum magis possunt manifestari perfectiones divinae, quam per ullum alium mundum: per quamvis enim perfectionem mundi, per quemvis gradum manifestantur perfectiones divinae. Nam perfectio quaevis artefacti commendat perfectionem artificis; adeoque ubi plures perfectiones, ubi altior perfectio gradus, ibi magis manifestari possunt perfectiones divinae, quam ubi ista deficiunt, neque enim per negatio-

tiones perfectionum Deus perfectiones suas manifestare potest.

Si quis opinioni, quae finem ultimum creationis felicitatem creaturarum rationalium adstruit, insistere velit, facile concedet, mundum perfectissimum ad majorem felicitatem creaturarum aptiorem esse, quam alium mundum minus perfectum.

§. 478. Sententia, adserens mundum hunc esse omnium possibilium perfectissimum, hoc est, ne necesse sit, ut quis aequivocationem vereatur, talem, qui inter singula individua possibilis totius speciei ita perfectior est reliquis individuis, ut nullus aequae perfectus mundus possibilis sit, illa, inquam sententia habet rationes graves in divinis perfectionibus. Et quidem 1) in sapientia Dei (460). Ibidem dicta, si vera non sunt, nescio, quem nobis conceptum formare debeamus sapientis in operando: illene forte sapiens, qui bonum tantum novit, non autem, dum operatur, eligit? Nno dices; sed illum sapientem adpellas, qui, dum operatur, bonum eligit. Cur igitur non sapientiore, qui melius, et sapientissimum, qui optimum eligit? 2) In bonitate Dei (463), ex qua pari ratione sicut paulo ante gradatim adscenditur ad benignitatem summam possibilem. 3) In potentia Dei; vis enim Dei infinita ad talem mundum producendum etiam sufficit.

At vero mundus optimus est impossibilis; sententia illum defendens est contraria divinis perfectionibus, libertati scilicet, et omnipotentiae. . . Sed a) impossibilitas non probatur (232); adeoque, si tamdiu aliquid pos-

sibile habendum sit, quamdiu non probatur, ipsum esse impossibile, et talis mundus possibilis habendus est. Quanquam adsunt rationes positivae pro possibilitate talis mundi in §. cit. adductae. Et certe classes ipsae substantiarum finitarum nobis cognitae argumentum praebent pro toto systemate finito. Finge, animae bruti, e. g. animae simiae, facultatem cognoscendi eo elevari, ut sit intellectui nostro par, maneretne in classe brutorum? Certe constitueret novam, quae propter corpus diceretur non pertinere ad homines, et propter animam ita jam perfectam non pertinere ad bruta; et sic de singulis classibus; adeoque admittendus est ultimus gradus perfectionis in quavis classe finitorum; ergo et in toto systemate omnium finitorum hunc mundum componentium. Miror, quosdam ex iis, qui optimum mundum adeo aversantur, suorum dictorum non ubi-vis memores esse: negant ipsi, posse materiae conferri vim cogitandi, adseruntque, eandem non mansuram in classe materiae nobis cognitae, si talis vis ipsi conferretur; sed quid aliud futurum, quod neque ad materiam nobis cognitam, neque ad spiritus pertineret. Nec juvat dicere, repugnare essentiae vim cogitandi: nam ex quo alio capite huic repugnaret, quam quia essentialiter vis materiae ita limitata est, ut ad illam perfectionem elevari nequeat, nisi simul ex classe materiae transeat in aliam; atqui et totius mundi perfectio etiam summa possibilis essentialiter est limitata.

Est,

Est, qui concedit, inter creaturas existentes unam posse esse perfectiorem reliquis omnibus, sed de possibilibus id negat. Verum et illud videtur de his dici debere, ita, ut inter omnes posibles creaturas singulas, et interpossibilia systemata integra creaturarum repraesentetur unum individuum, quo perfectius impossibile est. Nam imo Deus habet cognitionem intuitivam singulorum individuorum possibilium, hinc omnibus suis possibilibus modis pro quacunque possibili circumstantia determinatorum. 2do Omnia possible finita aliterpraesentari nequeunt, nisi ut finita, hinc et singulorum capacitates aliae repraesentari nequeunt, quam finitae, et est contradictorium, ut cujuscunque alicujus possible capacitas repraesentetur infinita; adeoque cujusvis possible capacitas ultimum habet gradum, ultra quem adjici ad ejus perfectionem nihil potest. 3tio Deus aliter res nequit facere atque posibles sunt: ceteroquin impossilia faceret; ergo ultra ultimum gradum possible capacitatis alicujus finiti, sive singularis, sive integri finitorum systematis nequit Deus quidquam perfectionis adjicere ipso finito repugnante. Quare admittendum est finitum possibile intra omnia possible finita perfectissimum. Atque illud ipsum ex rationibus gravissimis dicitur esse illud opus, quod Deus extra se fecit, bonum tantum ut extra Deum nullum melius sit possibile. Si quis forte velit, Deum possibilitates rerum efficere, is, nesse est; concedat, Deum facere suae cognitionis ob-

jecta, adeoque ipsum aliquid facere ante, quam cognoscat, et hinc coeae procedere, quod absurdum est. Deinde non poterit aliam dare rationem, quare Deus quaedam non possit efficere, nisi quia potentia ipsius esset limitata, adeoque impossibilia non esse ex se talia, sed ex defectu potentiae divinae, quod iterum absurdum est.

Verum tamen perfectiones divinae ita manifestari per res creatas nequeunt, ut non magis semper, et magis manifestari possint. . . . Quare iis ultimis verbis non additur *per res creatas*? Utique impossibile est, ut infinitum per finitum, finito infinite manifestetur, atque hinc inferimus, esse gradum ultimum manifestationis divinae per finitum possibilem (472), ultra quem manifestari per finitum finito nequeunt. Solus sibimetipsi manifestatione infinita patet: alia infinita est impossibilis; ergo omnis alia possibilis est finita, et inter singulos modos quique necessario finitus, unus melior altero, et inter omnes possibles unus optimus, quia singuli essentialiter finiti. Similitudo a ficta extensione reali infinita nihil, me iudice, illustrat: neque enim quaeritur: an infinitum per finitum finito ita unquam exhiberi possit, ut infinitum exhauriatur: sed hoc quaeritur: utrum systema finitorum, utrum mundus talis non sit possibilis, in quo perfectiones divinae ita expressae sint, ut in nullo mundo melius exprimi possint, ut ipse sit speculum divinarum perfectionum optimum possibile.

Norunt patroni mundi optimi, infinitam perfectionem Dei infinite exhiberi per finitum non posse; ruit proinde et illud, scilicet exhauriri perfectionem divinam, si *optimo possibili modo* manifestetur: ibidem enim omititur optimo *per aliquem mundum*, aut per aliquod systema finitorum possibili modo.

b) Doctrinam de mundo optimo libertati divinae non repugnare ostensura est, §. 461. in not, et omnino certum est. Qui illam repugnantiam se usque adeo demonstrare gloriantur, conferant illa, quae ipsi de perfectionibus Dei loquuntur, dum ex iis animarum immortalitatem ostendunt.

c) Eandem etiam non repugnare divinae omnipotentiae, manifeste ex eo sequitur, quia impotentia condendi mundum meliorem non ex Deo est, sed ex mundo: mundus optimo melior est impossibilis, impossibilia autem a nulla vi fieri possunt. Qui idcirco putant restringi potentiam divinam, quia Deus nullum alium mundum hoc deteriore producere posset, non videntur, sufficienter attendere ad vim infinitam Dei, sine operatione consideratam, et ad eandem consideratam in operatione; item ad ipsam consideratam, prout agit in Deo, et prout agit, dum creaturas producit. Si vis Dei consideratur extra operationem, consideratur ut non directa a sapientia etc.; si autem in operatione consideratur ut directa a sapientia: in prima consideratione ipsa sufficit ad omnia possibilea producenda; in altera, haec ipsa

ad omnia possibile sufficiens potentia nihil producere potest, nisi conformiter sapientiae, bonitati, etc. Item si consideretur, ut agens in Deo, infinita operatur infinitum sui amorem, complacentiam etc. ex quibus ipsa in effectibus potissimum infinita est; si consideretur, ut creans, creat finita, et ipsa; licet infinita sit, infinita tamen creare nequit. Est id profecto mirabile, conqueri, potentiam divinam restringi, si adseratur, eandem non posse aliter applicari, quam secundum regulas perfectissimae sapientiae, et bonitatis, et tamen eandem non restringi, dum sequitur regulas immutabilitatis, justitiae, providentiae etc. Num Dei potentia idcirco restringitur, ipseque ideo cessat esse omnipotens, quia contra, ac decrevit, nihil efficere potest: Decrevit non condere alium mundum, quam hunc; adeoque non alium condere potest; an ideo, si potentia Dei abstrahendo ab hoc decreto consideretur, illa non sufficit ad alium mundum condensum? Id ipsi non dicent. Atqui aequae sapientiae Dei potentiam ipsius in se spectatam restringit, aut eandem facit esse finitam, quam parum eandem restringebat liberum aeternum decretum. Et quid? Ista ab adversariis ipsis non rejiciendae expressiones: Si Deus voluit condere creaturas racionales liberas, *debat* iis praescribere leges, et quidem tales, quae conveniebant naturae talium creaturarum, *nec poterat* alias dare, suntne libertati, aut potentiae divinae inimicae? Cur igitur inimica esset haec! Si Deus volebat
con-

condere mundum, vi sapientiae etc. non poterat condere nisi optimum? Quando dicimus: Deum non potuisse alium mundum condere, quam optimum, non est id intelligendum hoc sensu, quod ipsa potentia Dei sit insufficientis, sit nimis Imbecillis ad viliores mundos condendos; sed quod Deus ex vi sua naturali, sive physica sufficientissimus ad omne possibile producendum, vilius tamen producere moraliter nequeat, quia sapientissimus est, et benignissimus: scilicet perfectiones divinae ipsae sunt leges Dei, secundum quas vim suam infinitam impendit, etiam, dum finita producit, quae nunquam ne in sua quidem possibilitate admitti possunt tanquam mensura vis divinae. . . . Qui nullam distinctionem inter statum physicum et moralem in Deo admittere volunt, non distinguunt actiones liberas a necessariis, et errant. Qui vero ex illa diversitate negant, difficultates solvi posse, ii velim, respondeant, vel ad hoc unum: quare Deus innocentem aeternis suppliciis addicere nequeat? Sane non respondebunt: voluntatem divinam ad id esse nimis infirmam, sed nimis sanctam, nimis justam etc. Et nos respondemus ipsis inpraesenti quaestione, esse eandem nimis sapientem, nimis benignam, addere et possumus nimis sanctam (462).

Inferunt nonnulli: ergo reliqui mundi essent possibles, et impossibles simul: primum, ut conceditur; alterum, quia Deus illos condere non posset. Et quidem in hoc argumento jam triumphus canitur. Sic nempe fit,

fit, dum praejudiciis agimur, obliviscimur principiorum alias positorum. Admittitur ab iis ipsis possibilitas interna rerum, et recte; atqui illa manet. Deinde quod Deus non possit viliozem mundum condere, non est, ut jam saepe dictum, ex defectu sufficientiae vis divinae. Si Deus decrevit, aliquid non condere; fitne hoc idcirco eodem sensu possibile, et impossibile simul?

Atque haec et illa, quae alibi in Theol. naturali dicta sunt, puto ad objectiones adversariorum sufficere. Liceat jam aliquam argumentandi rationem, qua ipsi utuntur ad probandum, mundum ad glorificationem Dei conditum esse, hic adducere; sic autem arguunt: Deus se ipsum infinite amat; ergo illud bonum, quod creando mundum intendebat, voluit sibi. Relicto integro antecedente nunquid rite infertur: ergo illud bonum sibi tantum voluit, quantum ipsum erat possibile; hinc manifestationem maximam possibilem; haec non est per alium mundum, quam per perfectissimum possibilis (474); ergo et hunc voluit. Certe si perfectio quaedam amoris erga se in eo est, quod quis sibi bonum velit, erit illa major, si sibi velit bonum majus, et maxima, si sibi velit bonum maximum *possibile*. Conatur non nemo se hic expedire respondendo, Deum non tantum ideo, quia se necessario amat, gloriam suam finem creationis constituisse, sed simul, quia sapienter alium finem ultimum praesigere non poterat. Principia ontologica intelligenti patet, hanc responsionem admodum infirmam

mam esse: crescente enim una ratione, ea-
 tenus etiam crescit rationatum. Et cur Deus
 sapienter alium finem habere non potuit?
 Nunquid ideo, quia sapiens eligit finem bo-
 num; sapientissimus igitur eligit finem op-
 timum possibilem tam intensive, quam ex-
 tensive talem; talis autem finis est manife-
 statio divinarum perfectionum maxima per
 aliquem mundum possibilis, utique per nul-
 lum alium, quam perfectissimum, sive opti-
 mum. Adde: cum ex adversariorum respon-
 sis pateat, ipsos ad sapientem determinan-
 dum in praxi plus non requirere, quam ele-
 ctionem finis boni, ex sapientia Dei nullate-
 nus probare poterunt, Deum finem mundo
 ultimum praefixisse suam gloriam potius,
 quam felicitatem creaturarum rationalium,
 utpote quae etiam bonum est.

Sed satis est: legis brevitatem in initiis
 conscribendis exigentes hoc loco praetergres-
 sus sum amore sententiae, quam alias ipse et
 in cathedra, et in disputationibus impugna-
 veram, postea tamen argumentis melius di-
 scussis ut verisimiliorem adoptavi: eandem
 tamen nemini ut demonstratam obrudo; in-
 terim certum mihi videtur, falsa esse, quae
 inde quidam deducunt consectaria. Scilicet
 falsum est 1) necessitatem eligendi optimum
 esse metaphysicam: est haec tantum hypo-
 thetica. Nempe si Deus libere velit agere,
 agit tamen necessario convenientissime suis
 perfectionibus; hinc dum libere eligit, ne-
 cessario eligit optimum. Haec necessitas ab
 aliis *moralis* dicitur. Falsum est 2) Deum si-
 bi

bi debere gloriam externam infinitam procurare: haec enim neque per finitum, neque in eodem obtineri potest; extra Deum autem nihil possibile, nisi finitum. Falsum est 3) hanc gloriam Deum ab aeterno sibi debuisse procurare primo nullatenus debuit (461) in not. 2) Deinde coepit gloria Dei externa procurari tum, quando creaturas racionales existere et summis perfectionibus Dei et mundi optime conveniebat. Falsum est 4) debuisse Deum infinitum creaturarum rationalium numerum producere: tot produxit, et producit, quot in nullo alio mundo possibles sunt; ille autem numerus nequit unquam esse infinitus.

 S E C T I O II.

P R O V I D E N T I A.

§. 479.

Jus subjective spectatum, sive ut personam adficit, est facultas moralis ad actionem aliquam. Sic e. g. dicimus habere jus ad illa facienda, quae lex praescribit.

Nomine actionis hic etiam permissiones, et omissiones intelliguntur.

§. 480. *Dominus* est, qui habet ius disponendi de re, et quidem *plenus*, qui habet jus disponendi de re, quidquid placuerit; *Dominium*
ple-

plenum est complexus jurium omnium, quae in rem aliquam aut personam exerceri possunt. *Dominium plenum* in personas speciatim *potestas plena* dicitur.

§. 481. Deus in res creatas omnes plenissimum habet dominium. Sequitur hoc vel ex sola creatione. Atque istud Dei dominium tale est, ut Deus illud non possit abdicare, neque nullam creaturam ab eodem eximere, adeoque ut nulla creatura, neque ullo tempore aliquá esse possit, quae huic dominio subjecta non sit, aut aliquo tempore subjecta non sit: Est enim Deus necessario talis, cui subjecta sunt omnia, quae sunt: talem enim esse certe perfectio est.

Dominium Dei etiam majestas Dei dicitur, vñ cujus Deus etiam omnia illa jura habet, quae supremam potestatem constituunt.

Dominium Dei consideratum ut ipsius perfectio, est illa, quae ab aeterno in aeternum in Deo, si ita loqui licet, fundat jus perfectissimum in omnes creaturas, si quae sunt, ac proinde creaturis omnimodam et stabilem subjectionem exigit. Effectus vero domini creaturarum existentiam supponunt.

PROVIDENTIA IPSA.

§. 482. *Providentia Dei* est cura Dei de rebus creatis. Complectitur igitur omnia, quae Deus circa creaturas suas ad certos fines obtinendos facit, aut disponit, aut fieri permittit; adeoque ad providentiam Dei pertinent conservatio concursus et gubernatio.

Posse Deum circa mundum providentiam exercere, sequitur ex ipsius perfectionibus, omniscientia, omnipraesentia, omnipotentia ac supremo in res creatas dominio.

a) Conservatio.

§. 483. *Conservatio* est illa actio, qua efficitur ut ens existens duret. Cum jam substantiae hunc mundum constituentes singulae sint finitae; finita autem substantia rationem durationes neque in se (179), neque in alia finita (180), sed in infinita (182) habeat; Deus est conservator immediatus singularum substantiarum hujus mundi; et omnium durantium simul.

Conservatio continuata creatio hoc sensu dici potest, quod eadem actio Dei, scilicet volitio, qua substantia finita existentiam obtinuit, continuetur, qua actione continuante etiam existentia substantiae finitae continuatur; sive eadem durat; actio autem, qua substantia talis primo existentiam suam obtinuit, et creatio, haec actio continuata est conservatio. Verum nequit conservatio creatio dici hoc sensu, quasi quovis momento substantia finita ex nihilo produceretur.

Cum conservatio substantiarum finitarum sit ratio perdurationis earundem, cessante conservatione cessaret illarum existentia. Quare ad substantias finitas annihilandas non requiritur actio positiva Dei, sed sufficit non conservare.

§. 484. Deus conservando substantias earundem quoque vim conservat: vel enim vis est aliquid

quid in substantia. Si hoc jam tamen ratio existentiae hujus vis neque est in actione hujus substantiae, cum actio sine vi sit impossibilis, neque in actione alterius substantiae finitae: cum enim quaelibet substantia finita in existendo sit ab altera finita independens (180), etiam vis ipsius eadem ratione independens est, sive quaelibet substantia finita potest existere cum sua vi, licet alia finita non existat. Ratio igitur existentiae ealicujus vis est in actione Dei, hinc et ratio, cur eadem perduret; adeoque etiam Deus immediate vires substantiarum finitarum conservat. Cumque illas conservet singulis momentis, etiam conservatum, quando agunt, sive conservat simul statum substantiarum, quom hae agendo obtinent.

Si substantiae finitae viribus sibi inditis illam partium connexionem, quae in hoc universo obtinet, efficiunt, formam mundi Deus eatenus conservat, quatenus conservat substantias et vires in illa dispositione, in qua per earundem actiones cum divina omnium conservatione illa connexio continenter efficitur. Quae vero connexiones in hoc universo obtinentes aut fieri possunt actionibus substantiarum finitarum, aut non fiunt, illas Deus immediate a se productas etiam immediate conservat.

Negationes, et privationes, limites, et defectus uti a Deo creati non sunt, sic neque ab eodem conservantur, licet illud, quod limitatum est, ab ipso conditum sit, et conservetur: quod enim nihil est, conservatione non indiget.

b) Concursus.

§. 485. *Concurrere* ad alterius actionem dicitur is, qui agendo continet aliquam rationem cur alter agat, adeoque concursus est actio, in qua est aliqua ratio actionis alterius a concurrente distincti.

§. 486. Deus concurrit ad omnes omnium substantiarum actiones: nam substantias, vires earundem, ipsarumque agentium statum conservando continet actione sua rationem aliquam omnium, et singularum actionum, quae a substantiis finitis peraguntur. Certe sine tali conservatione omnes creaturarum actiones impossibiles sunt; adeoque nullae fierent; cur igitur aliquae fiant, ratio aliqua est in illa actione Dei; ac proinde etc.

Concursus igitur generatim spectatus nihil aliud est, nisi conservatio substantiarum, virium earundem, totiusque status, quem substantiae agendo obtinent, isque dicitur *immediatus*, quatenus Deus immediate hac conservatione *cooperatur* ad existentiam effectus, quae tamen immediata cooperatio re ipsa illa conservatio est, ita, ut conservatio et concursus nonnisi diversa relatione Dei differant. Conservatio scilicet consideratur, ut operatio Dei quovis momento quasi creant; et concursus ut operatio cum vi rerum, quatenus Deus etiam tunc vires conservat, dum agunt, et hac actione in existentiam affectus simul influit. Dicitur ille concursus etiam *naturalis, physicus, universalis*.

Qui-

Quidam Deum solum omnium variationum in mundo contingentium authorem faciunt, et sic omnem vim activam substantiarum finitarum tollunt, et errant. Alii concursum explicant fere hoc modo: sicuti e. g. qui puerum in characteribus formandis instituit, atque prehensis pueri digitis calamoque una cum ipso efformat litteras; sic Deus cum suis creaturis cooperatur, quae explicatio nimis hominem sapit, et de Deo nihil explicat. Rursus alii, dum explicari concursum volunt, adeo miris phrasibus utuntur, ut jure dubites, an se ipsi intelligant.

Qui Deum ad actiones creaturarum concurrere negant, creaturas in agendo a Deo nimis independentes faciunt, quod repugnat supremo Dei in res creatas Dominio, cui non tantum substantiae in existendo, sed etiam in agendo subjectae sunt, ita, ut quomodo sine conservatione Dei esse non possunt; sic dum sunt, sine cooperatione Dei agere non possunt. Concursus *moralis* Dei est illa Dei actio: per quam ipse fit causa moralis quarundam actionum liberarum creaturae rationalis, e. g. legum, poenarum, et praemiorum constitutio, suasiones, hortationes, atque aliorum adjumentorum subministratio. Hic concursus etiam *specialis* dicitur. Cum Deus intendere peccatum ob summam sanctitatem non possit, etiam esse non potest, ut ipse alicujus etiam minimi peccati causa moralis sit, hinc nulla motiva ad peccandum adlicentia proponere, aut ulla alia ratione voluntatem ad peccatum inclinare potest.

Con-

Concurrit igitur moraliter Deus tantum ad actiones bonas singulas, cum ipse sit author legum naturalium etc. Et quidem concursu dupplici; primo generali, et physico, deinde speciali, ac morali. Ad actiones autem creaturarum rationalium malas *quales* Deus non concurrit: malitia enim actionis defectus est; Deus autem non operatur defectus. . . . Distinguunt hic *materiale* actionis a *formali*: primum est actio considerata, ut est mutatio ex vi activa profluens, quae mutatio semper est aliqua realitas, cum sit exercitium vitae ipsius vis. Alterum est actionis determinatio, aut complexus determinationum, quae actoni adveniunt a libertate agentis, et conformitate, aut difformitate cum lege cognita, a quibus determinationibus actio vel moraliter bona, vel mala est. Ad *materiale* actionis sufficit concursus Dei generalis, et Deus, dum ad *materiale* ita concurrit, author peccati quia talis non efficitur, quod nequidem quia tale permittit, cum illud moraliter omnimodo impediatur. Vult Deus, dum illud permittere dicitur, tantum *non impeditorem physicam*, quam si vellet, creatura libera non esset. Qui putant, *formale* a *materiale* in quibusdam actionibus separari non posse, attendant tantum ad amentes, qui, dum e. g. linguam in voces blasphemias solvunt, non peccant; est igitur ratio peccati distincta ab actione physica: ad *physicam* Deus concurrit ad pravitatem autem actionis concurrere nequit, sive nequit adjuvare, ut actio mala sit.

c) Gubernatio.

§. 487. *Gubernatio* est mediorum et eventuum ad praefixum rei finem directio: sic gubernare rempublicam dicitur is, qui ad salutem publicam promovendam singula in eadem dirigit. *Gubernatio* igitur mundi est directio mediorum, eventuumque, qui in mundo contingunt ad finem mundi.

Ad perfectam gubernationem requiritur 1) scientia objecti gubernandi, ipsius finis, et illorum omnium, quae vel sunt media, vel talia fieri possunt, et scientia modorum applicandi. 2) Potentia exequendi. 3) Voluntas. *Gubernationis* autem regulae sunt fines rerum gubernandarum.

§. 488. Deus hunc mundum ad finem a se praestitutum dirigit: est enim infinite sapiens, bonus, et potens; Sapientia, et bonitas tam finem, quam mediorum ad illum finem directionem postulant, et potentia perficit. Deinde Deus finem mundo praefixum accurate consequitur: si enim illum non consequeretur; ergo vel mundus non esset medium ad illum finem, vel Deus illum finem nollet adsequi, vel non posset: primum et secundum cum sapientia, et bonitate, et tertium cum potentia infinita nequeunt conciliari, ergo Deus finem illum actu consequitur, sed nequit finis actu obtineri sine directione actuali mediorum ad finem; hoc autem ipsum est Deum mundum gubernare.

Ex supremo Dei in mundum dominio simul fluit jus gubernandi mundum, imo ipsa actualis gubernatio est aliqua supremæ in mundum potestatis administratio.

Gubernatio Dei dividitur in *positivam*, *negativam*, et *permittentem*. Positiva consistit in eo, quod Deus media ad certum finem vel tota, vel ex parte ipse producat, disponat, et ad finem illum dirigat. Negativa sita est in eo, quod Deus ad certum finem aliquas possibles actiones creaturae impediatur, excepta una, quae idcirco consequitur, et ad finem intentum servire debet. Permittens in eo est, quod Deus ob certum finem aliquid permittat, quod ipsum permissum facit esse medium. Gubernatio haec non debet confundi cum illa permissione, qua aliquid tanquam accidentale ideo permittitur, quia ipsum non obest, quominus finis intentus consequatur.

Dividitur etiam gubernatio in *universalem*, quatenus singula hujus mundi aequaliter gubernat, et *specialem*, quatenus singulari quodam modo creaturas, aut creaturarum species gubernat. Item in *ordinariam* et *extraordinariam*; prior est, qua Deus secundum datas creaturis vires, statutasque naturae leges gubernat. Posterior, qua actione sua immediata sine concursu virium naturalium naturalium eventum aliquem ad fines suos altissimos obtinendos interserit, qui sine tali actione immediata Dei nunquam fuisse productus, etsi hinc inde produci potuisset. Ad hanc gubernationem etiam miracula pertinent, et ipsam esse maxime specialem, per se patet.

§. 489. Gubernatio Dei circa hunc mundum se extendit 1) ad singula objecta, ita, ut nulla sit in mundo substantia, mutatio nulla, quae huic gubernationi non subsit: nam singula sunt partes mundi invicem connexae (228), eundemque finem communem habent (472), cui quaedam directe*), quaedam indirecte inserviunt**). 2) Ad omne tempus, ita, ut nullum sit momentum ab origine mundi, nullumque perstante mundo futurum sit, quo Deus mundum non gubernet: neque enim unquam mundus sine fine esse poterit, sapientia id non permittente; hunc finem semper adsequitur Deus directione mediorum ad ipsum finem (§. praec).

*) Directe inserviunt 1) omnes mutationes vi legum naturalium consequentes (a) in corporibus ex mechanismo eorundem, aut mutua in se invicem actione. (b) In spiritibus, e. g. in animabus brutorum, ubi mutationes per causas occasionales sine libera electione determinantur. Item in animabus hominum circa illas mutationes; quae nullatenus a libertate hominum pendent. 2) Omnes actiones liberae bonae. 3) Illae mutationes, quas Deus per se ipsum in mundo producit.

***) Indirecte peccata serviunt ad finem mundi, ipsaque licet non concursui, gubernationi tamen divinae substant: nam licet hi actus directe repugnent perfectionibus divinis, Deusque illos velle non possit, dum tamen Deo physice non impediante a creatura fiunt; connecti possunt et ipsi, et eorum consectaria cum aliis mutationibus ita, ut eorum

consectaria, et nexus, et aliae mutationes ad optimos fines inserviant. Illustre exemplum praebet historia de Iosepho aegyptiaco.

§. 490. Gubernatio Dei circa creaturas rationales liberas etiam specialis est. Nam, cum creaturae rationales liberae facultates limitatas habeant, atque hinc a fine primario, scilicet glorificatione Dei, et consequenter a secundo, propria nempe felicitate vitio tum intellectus, tum voluntatis deficere possint, sapientis gubernatoris est, ipsis media sufficientia ad fines obtinendos subministrare, praesertim cum ipse illas creaturas tales condendo ostenderit, se fines illos cum libera ipsorum cooperatione obtinendo intendisse. Atque hinc concursus specialis per leges et motive ad actiones bonas necessitas tanquam pars gubernationis, quae se ulterius ostendit in actionum bonarum directione, et cum pluribus bonis, quam creatura intendebat, connexione.

Poterat utique Deus vi supremi sui dominii creaturis liberis, dare leges, sed vi sapientis, benignae, justaeque gubernationis etiam debebat dare leges, atque has ipsas praemiis, et poenis statutis sancire. Systema tale, in quo subditi sunt, qui a supremo Dominio ita reguntur, ut ipsis leges praescribat, easdem praemiis et poenis muniat, vocatur *civitas*. Complexus igitur creaturarum rationalium civitatem Dei constituit, atque ipse Deus suae civitatis supremus, et independens dominus est, et gubernator.

§. 491. Gubernatio extraordinaria nec in se impossibilis, nec Deo inconveniens est. Primum

ex conceptu talis gubernationis, atque etiam ex §. 249. patet. Alterum inde, quia nulla in Deo inest perfectio, cui talis gubernatio esset opposita; imo vero potest eadem hinc inde esse convenientissima sapientiae, et bonitati divinae, dum scilicet sine tali gubernatione fines mundi aut omnino non, aut non ita perfecte obtineri possunt.

Non est necesse, ut extraordinaria gubernatio Dei nobis semper aperta sit; potest ipsa esse occulta, potest esse tam circa actiones rerum non liberas, quam liberas spirituum, et immediata circa quasdam, mediata circa multas alias. Qui talem gubernationem non admittunt, sed dicunt, jam tum ab initio creationis singula ita a Conditoris fuisse disposita, occultosque in rerum natura ab initio ductos, praeparatosque cuniculos fuisse, etiam ad extraordinarios eventus certo tempore producendos, aut ad quasdam actiones impediendas, ne certi eventus producantur, ii, si tales eventus a rerum creaturarum actione produci, aut impedi judicant, gubernationem non aliter concipiunt, quam continuam conservationem dispositionum semel factarum, et ordinariam ad eventus naturales concursus; negant igitur in mundo immediatas Dei ut solius, ac proximae causae actiones, adeoque et negant miracula. Sed talia adserta, utut speciose proposita, solida tamen ratione destituuntur.

Ad gubernationem extraordinariam etiam pertinet *revelatio* supernaturalis sive strictae dicta, dum scilicet Deus ipse revelat,

quae a creatura vel non cognoscuntur; vel etiam cognosci nequeunt, atque ita suam voluntatem; quae est prima et universalis lex hominum, tam circa credenda, quam facienda immediate per se hominibus manifestat. Cum complexus revelatorum credenda, et facienda continentium sit *religio* revelate *objective* spectata, religio revelata gubernationis extraordinariae effectus est. Religio autem naturalis itidem *objective* spectata, sive quatenus est complexus obligationum erga Deum sola ratione duce cognoscendarum, ad ordinariam gubernationem spectat. Nulla divina revelatio stricte dicta illi, quod per rationem certo cognoscitur verum, contradicere potest: veritas enim veritati nunquam opposita est; hinc si qua in religione offenderetur aliquid rationi certo contradicens, illud falsum, et a Deo revelatum non est. Religio vero *subjective* spectata consistit in cognitione Dei, et perfectionum ejus, ac respondente illi cognitioni dispositione animi, in amore scilicet, reverentia, fiducia, obedientia etc. Cum homo ex toto subjectus Deo sit, dubitari nequit, eundem et inducere, et huic congruenter ex motivis perfectionum divinarum actiones suas suscipere, et dirigere, illaque explere 1) quae ratione duce; 2) quae ex vera revelatione novit, Deum ab ipso postulare. In revelationem vero tenetur homo inquirere tum, quando graves habet rationes suspicandi talem existere: tenetur enim explere voluntatem Domini Dei sui, et hinc, si talem circa quaedam declarata
tam

tam esse prudenter suspicetur, in illam omni studio inquirere, atque inventae conformiter vivere: vivendo enim divinae voluntati conformiter Deum vere glorificat homo, seque vere felicem reddit.

§. 492. Omnis gubernatio divina convenientissima est divinis perfectionibus: est enim actio divinae voluntatis, quae necessario conveniens est reliquis perfectionibus (460); hinc gubernatio divina, totaque circa mundum providentia est sapientissima, sanctissima, benignissima, et iustissima.

Sed unde jam malum in mundo, et quare id Deus fieri permittit? Responsiones ad utramque quaestionem habentur in obviis quibusque meliorum Philosophorum libris: Respondetur autem.

1^{mo}. Quoad malum metaphysicum, ipsum in essentia finiti rationem suam habere; adeoque Deo imputari non posse; quā aut omnino nihil potuisset condere; aut, si quid poterat condere, illud non erat, nisi finitum; finitum esse etiam non obstare, quominus ipsum habeat perfectiones licet finitas; adeoque Deum, dum res ita condidit, ut possibles arent, non contra, sed maxime convenienter suae bonitati egisse: nam condendo, multaue alia bona largiendo suam bonitatem ostendit.

2^{do}. Malum morale, sive peccatum ideo in mundo est possibile, quia dantur in eodem creaturae rationales liberae, quibus
le-

leges dare non tantum conveniens erat, sed necessarium (490). Ratio autem bona est; Bonum est libertas, et leges bona sunt: sunt enim veritates directrices. Quoniam vero illae creaturae necessario limitatae sunt, possunt a legibus libere deficere, hinc mali moralis possibilitas. Conf. §. 234 in not. Ejus autem mali existentia rationem habet, in malo libertatis usu. Quare origo mali moralis in Deum refundi non potest, qui bona dedit ad finem optimum; malum autem bonorum usum severissime prohibuit: neque enim ratio originis mali est in bonis, nec in eo, quia data sunt; sed in eo, quia iis creatura male utitur.

3tio. Malum physicum, ad quod referuntur dolores corporis, et animae, morbi, mortesque animalium, terrae motus, tempestates, bella, devastationes etc. rationem possibilitatis suae in ipsis rebus naturalibus, in earum viribus etc. habent, et actualitatis in rerum naturalium actionibus, ad quas vel immediate se invicem res naturales determinant, uti e. g. venti aquas; vel immediate ab ipso Deo determinantur, qui imperat ventis, et mari; quique etiam praeter ac contra leges naturales vim scilicet tantisper inhibendo, actionemque impediendo sua voluntate talem statum inducere potest, quo istiusmodi malum consequatur. Nam mala, quae adpellamus physica, saepe sunt optima media ad impediendum malum morale, ad promovendum bonum, ad excitandas creaturas racionales ad exercitium virtutum etc.; ostendunt
etiam

etiam supremum Dei in hunc mundum dominium, ac saepe sunt luculenta divinae iustitiae argumenta. Mala igitur physica eatenus tantum male dicenda sunt, quatenus sunt mutationes, quae quoad effectus suos naturales aliquam mundi particulam in aliquo imperfectiorem reddunt, quam eadem esset sine ipsis. Quatenus autem media sunt ad plures et majores perfectiones inducendas, bona sunt, adprobari, intendi et induci possunt, ut constat de omnibus poenis, quae impossibiles sunt sine malis physicis. Malum igitur morale solum est, cujus possibilitas nullam, sed maximam existentiae difficultatem facit. Scilicet: quare Deus, qui malum illud infinite abominatur, qui omnia ab aeterno praescit, cujusque potentiae nemo resistere potest, mala ista permittit? . . . Audetne creatura Conditorum suum, quam recta ratione adjuncta cognoscit, sapientissimum, benignissimum, justissimum, interrogare, quare sic faciat? Sed quaesitum est jam longo ante nos tempore, et responsum diversimode. Ex omnibus responsionibus haec generalis prae placet: erat convenientius Deo, illa mala tali modo et eo usque permittere, quae, quomodo, et quousque permittit, sive melius physice non impedit. Certus enim sum ex convenientissima cum reliquis perfectionibus voluntate divina Deum id genus malorum nunquam fuisse permissurum, neque in iis casibus, neque tale de fato jam permittere, si permissio, sive non impeditio talis mali, aut in talibus circumstantiis di-

vinis perfectionibus non conveniret. Sed quaeris: in quibus illa convenientia sita sit? R. In casu quovis particulari hoc ipsum assignare creatura nequit, quae neque totum universum, neque omnes nexus creationis, neque fines omnes Conditoris novit. Univer-
sim dici potest, Deum malum morale physice non impedire, dum moraliter omni possibili creaturae rationali liberae conveniente modo ipsum impedit, quia physice impediendo plus boni aut impediret, aut immi-
nueret, aut tolleret: pone enim; Deum illud malum physice impedire, ergo vel impedit tollendo omnino libertatem, id est, non con-
dendo creaturas racionales liberas, vel si il-
las condidit, tamen impediendo immediata sua actione libertatis abusum, confirmando scilicet statim ab initio creaturam, inclinando insuperabiliter voluntatem, suffocando inor-
dinatas adpetitiones, aut removendo omnem prorsus occasionem, in qua excitari possent, aut paucis removendo omnem occasionem probandae obedientiae. In omnibus his casibus simul impediretur omnis moralitas, omnis imputatio, atque omnis virtutis pretium simul tolleretur. Ostendit factum illud non fuisse convenientius divinis perfectionibus. Novit praeterea Sapientissimus ipsa illa mala ita dirigere, ut praeter naturam suam ad multos bonos fines obtinendos inservire debeant: impedit illud malum enim physice tum, et in illis circumstantiis, quando et in quibus summum totius bonum hoc postulat,

Sed quid? Estne non obstante tanto illo malo in hoc mundo ipse tam perfectissimus inter omnes posibles mundos? Est: ceteroquin, si melior possibilis esset, Deus non hunc mundum, sed illum meliorem condidisset. Confertne igitur hoc malum aliquid ad perfectionem mundi? R. Effective nihil confert, neque mundus per, aut propter illud malum est optimus, est illud, et manet in mundo optimo maximum malum, causa summae infelicitatis, creaturis rationalibus obvenire potest. Neque Deus optimum mundum propter involutum ipsi malum elegit, sed id solum physice non impedit, quia in optimo ex aliis rationibus mundo stante libertate hoc eventurum quidem sciebat, sed tamen simul sciebat, eo non obstante mundum hunc esse meliorem aliis possibilibus, et quidem meliorem cum permissione physica illius mali, quam cum ejusdem impeditioe, ita, ut mundus, in quo Deus hoc malum physice impediret, secundum se totum consideratus non esset tam bonus, atque ille est, quem condidit. Bonum in hoc mundo ita praeponderat malo, ut nullius mundi bonum demto etiam suo malo bonum hujus mundi adaequare possit. Estne forte ille mundus melior, qui meris constaret truncis, quam qui constat finitis spiritibus, qui peccare possunt, et quorum, quidam suo, nullatenus Dei, vitio actu peccant? Illud non putabis, aut si alium mundum, etiam creaturis rationalibus libertate praeditis tanquam partibus principalibus constantem, adsumas,
un-

unde scis illas creaturas non abusuras magis sua libertate, difficiliusque in viam bonam reducendas? Unde scis, malum illud morale in illo mundo non fore et majus et frequentius. Demus honorem Deo, et siquidem id ita demonstrari nequit, ut ex terminis pateat, concedamus tamen sanæ rationi conformius esse judicare, quia Deus hunc mundum prae aliis possibilibus condidit, esse ipsum inter possibles optimum, esse divinis perfectionibus convenientius, non impedire physice malum morale, quam illud tali modo semper impedire: ipsum vero hoc malum omni modo tanquam malum nostrum maximum, quale est, caveamus, dum displicet infinite illi, qui solus optimum facere poterat, et fecit.

Qui ad permissionem mali respondent, Deum id permittere solum, quia vult, sicuti respondere deberent, si vellent convenienter loqui, dum scilicet dicunt, Deum hunc mundum condidisse solum, quia voluit, non attendendo, quid conveniret suis perfectionibus, si videant, quomodo, non dicam justificent, sed vel excusent Deum circa permissionem mali moralis, saltem abstineant a censura, ut verbo moderato utar, immoderata, quam ferunt in illos, qui ex mundo optimo Deum in facto praesenti justificant, dum illos causae divinae *proditores* adpellant. Ego non novi philosophiam, ex qua talem censuram excusare possem, imo eandem multis praeclaris viris de Deo optime sentientibus injuriosam puto.

De animarum humanarum immortalitate ex perfectionibus divinis.

§. 493. Dependent omnia a voluntate Dei, quae surt, et fiunt, et facta conservantur, gubernantur ab ipso omnia sapientissime, et suavissime, et sine ipsius voluntate nequidem capillus de capite nostro in terram labitur. Quid sanctissima hac voluntate constitutum est de animabus nostris? Ab ipsa certe harum duratio et vita pendet. Conservabitne illas, et quidem vivas? Gravissima haec quaestio certius aliunde decidi non potest, quam ex ipsis Dei perfectionibus.

Deum posse animas hominum in sempiternum vivas conservare, dubitari non potest: neque enim in anima hominis quidquam est, quod hanc conservationem impediret, et destructionem exigeret. Conf. §. 533. et 434., et simile quid in perfectionibus divinis etiam suspicari non possumus, in quibus contraria omnia deprehendimus.

§. 494. Sapientissimus nihil sine optimis finibus facit, nulla capacitas, aptitudo nulla est, quam ipse dedit, quae esset ad finem optimum, ad quem esse potest; atqui anima nostra capacitatem habet agnoscendi felicitatem semper durantem, majorem illa, quae in hac vita obtineri potest, sentit in se naturalem inclinationem ad eiusmodi felicitatem etc. (433. n. 4.), estque ipsa capax, ut revereatur, laudet, amet, et glorificet Conditorum suum, in sempiternum; fuisset autem inconveniens summae sapientiae ob defectum finis melioris et certo possibilis animam iis dotibus

bus praeditam, iis desideriis obnoxiam condere; si eandem post hanc terrenam vitam vivam conservare nolle: Aut an forte illum sapientem iudicas, qui ingentis capacitatis vas construeret, ut guttulam in eodem tantisper adservaret, aut habitium extrueret, quod temporariae muscae palatationi inserviret?

Vides hic id non agi, an animae nostrae injuria inferatur annihilatione; sed an conveniens fuerit sapientiae divinae illam talem condere, et tamen postea annihilare.

Qui negant, desiderium illud aeternae felicitatis esse naturale, negare tamen non poterunt, naturalem esse capacitatem cognoscendi stabilem et perdurantem, etiam majorem felicitatem, quam est in hac vita, cum omnino naturaliter ad hanc nostram felicitatem majores gradus, et stabilitatem cogitando adjicere possimus, et sic nobis repraesentare sempiternam felicitatem, quam ipsam repraesentationem naturaliter consequitur, talis felicitatis desiderium. Hoc etiam desiderium omnino rationi consonum est: cum enim intime sentiamus, nos nihil desiderare, nisi felicitatem, et quidem, quam fieri potest, perfectam, etiam ratione cognoscamus, Deum ad felicitatem, nos condidisse, recte inferimus: ergo ad veram felicitatem conditi sumus; atqui deprehendimus talem felicitatem non esse illam, quae finem habet, sed illam, quae sine caret; proinde rectae rationi conformiter illam adpetimus, adeoque neque ex praesudiciis illud desiderium in homine exortum est.

Quod

Quod hinc inde adpetitus noster non recte applicetur, est ex defectu cognitionis veri boni: vera autem et perfecta felicitas est verum bonum; hinc a malis applicationibus ad hoc desiderium suspectum reddendum non valet argumentum.

§. 495. Benignissimus nos non condidit, ut tum praesertim, quando ratione utimur, cruciaremur, nosque vere infelices sentiremus; re ipsa tamen ita esset, si animae nostrae non viverent aeternum: maxime enim tum ratione utimur, cum in nostras prae reliquis animantibus praerogativas inquirimus, atque ex illis omnino praecellentibus ad dignas nobis actiones suscipiendas nos determinamus, si praesentia ad futura dirigimus, omniaque ad ulteriorem nostram felicitatem disponimus, in ipsis autem his actionibus nostris nunquid ratione utentem tristissima percellat cogitatio, necesse est, se his omnibus spoliandum, se redigendum in nihilum, et quidem inscium temporis, quo ad illud non esse transiturus sit. Profecto sensum suum negat, qui, dum ingens aliquod bonum possidet, adsereret, se non cruciari, si eo se quovismomento spoliari posse, et certo quodam, ipsi tamen incerto se spoliandum sciret.

At vero, si toti intereamus, sensus nullus superest. Id equidem verum, sed hic de eo non quaeritur. Praesens vita nosra foret hominibus ratione utentibus, et secundum eandem viventibus molestissima; vehementissime eos cruciaret intuitus tot, tantorumque bonorum, quibus a Deo undique circum-

cum dati sunt, memoria praeteritorum gaudiorum, desiderium possibilium futurorum, quae tamen nunquam obventura sunt, lancinarent animos; pugnat vero cum bonitate Dei, solam creaturam suam rationalem talem effecisse, ut tum, quando ratione utitur, maxime crucietur. Ipsa futura vita beatior, quantum bonum? Hoc tamen ipso se carituros esse, si scirent homines, quantum tormentum foret, cum sua ratione possibilitatem ejusdem vitae pervideant, distincteque noscant, facile esse Deo, hanc ipsis largiri. Foretne Deus bonus erga creaturas rationales, dum dando rationem ejus vitae appetitum simul indidit, ipsam tamen negaret? Illene bonus, qui alteri famem excitat, ipsique famelico cibum ostendit tantum, non autem, ut eo vescatur, concedit?

§. 496. Gubernator potentissimus, sapientissimus, sanctissimus, potuit, et debuit leges suas sancire praemiis et poenis propositis, et quidem talibus, quae maxime apta sunt ad observantiam legum a creaturis rationalibus obtinendam; postulat justitia, ut etiam praemia merentibus largiatur, poenasque infligat pertinaciter rebellibus; postulat sanctitas, ne Deus aequando improbos probis, aut illos etiam praefereudo vitium adprobare videatur; sed remota vita aeterna aut nulla, aut admodum infirma est legum naturalium, et positivarum divinarum sanctio; multis bonis praemia nulla, et multis nullae poenae, aut saltem non illa praemia, nec illae poenae, quae nobis, quales modo sumus, essent incitamenta universim sufficientia ad virtutem exercendam, vitiaque de-

declinanda; sors denique proborum et improborum eadem, scilicet non esse. Nam 1) si nihil post hanc vitam superest, tota felicitas hominis denique recidet in durationem vitae hujus terrenaе commodae. Ad quid enim tunc labores, perpressiones aerumnarum, omniaque vitae nostrae incommoda etiam tolerata, si nihil sit ultra quod expectes, aut verearis? Hac autem felicitate, constituta, quaenam sperari potest observatio legum? Imo vero cum haec felicitas esset finis intra hominem ultimus, hanc ipsam ex voluntate Dei in quacunque circumstantia homo deberet persequi; ergo non tantum licita, sed et praecepta forent illa omnia, quae pro aliqua circumstantia ad vitae commodae durationem necessaria judicarentur, nullumque foret officium adeo magnum, cui durationem talis vitae non deberet homo antepone. Quantum autem malorum in genus humanum inde redundaret? Insidiae, defraudationes, perpetuaque bella in ruinam totius humani generis orbem hunc nostrum occuparent. At modicum ille tantum felix foret, apud quem potentia physica major. Consequenter sine poenis et praemiis post hanc vitam expectandis ita nulla esset legum naturalium sanctio, ut potius, verba sunt cl. de MARTINI, omnes obligationis naturalis nervos ille incidat, qui necessitatem moralem fingit; ea agendi, quae nos destruant, sine alia majoris boni retributione; atqui sine contradictione illa cogitari nequeunt de sapientissimo Governatore. — Et homines quid retineret a transgressione legum, illa maxime, quae in cognitionem magistratus civilis venire non potest, si nullae transgressoribus in altera vita statutae sint

poenae? Vitii deformitas, pulcritudo, et amoenitas virtutis ad inutilem theoriam apud homines, quales in hoc globo sunt, pertinerent. Quod modo sceleratum torqueat recordatio flagitiorum, soletur bonum memoria bene actorum, maximam partem ex metu et spe futurorum est: haec tolle, et conscientia obmutescet, cujus vox, vox rationis est, dogma de futura vita confirmans.

2) Docet experientia, bonis saepe male, malis bene in hac vita esse; ubi ergo sunt praemia primis, et alteris poenae, si totus homo interit? Estne bonitas tum sapienter administrata, estne justitia, si plura beneficia conferuntur impiis, quam piis, si hi in benefactis vexantur miseris, isti in malefactis cumulentur bonis?

3) Nunquid ex iis ipsis pronum esset concludere, Deum leges suas non curare, virtutem non tantum aequare vitio, sed in multis casibus postponere, quae cum sanctitate pugnant. — Haec pluraque alia mature, animoque a pravis affectibus tantisper quiescente discussa nunquid ratione praeditum convincere debent de voluntate divina, qua animam hominis post hanc terrenam vitam vivam, sui suarumque adfectionum probe consciam conservare decrevit?

Et vero ex profanis illis hominibus quidam magis sensati vi argumentorum adacti concedunt superfuturas animas vivas, sed ad tempus tantum; quidam pias animas in perpetuum vita fruituras, impias tamen post certum tempus aut annihilandas, aut etiam in gratiam recipiendas adserunt. Quod ad

ani-

animas infelices attinet, utique difficilius est, sempiternam earum infelicitatem ex ratione ostendere, quam perpetuam felicitatem beatarum: sed aeternam infelicitum poenam non repugnare bonitati divinae eandemque posse convenientissimam sapientiae, sanctitati, ac justitiae; ostensum est (§. 464. in not.), et si penitus inspiciamus hominem, deprehendimus nullum medium ad ipsum in officio continendum, et ad virtutes excitandum, esse aptius perpetuitate tam poenarum, quam praemiorum: nullum prorsus ex temporariis medium est universim, et ex se ad illa satis efficax; hinc, cum Sapientissimus media ad fines optima eligit, suffragante iterum ratione cognoscimus perpetuitatem vitae pro statu utroque. Relege tamen hic notamen totum §. 464. ubi et confutata sunt, quae de nimia severitate, et ultimata inutilitate poenarum aeternarum objiciuntur.

Ad extremum quaero: Num Deo aliquando deerit potentia animas conservandi? An deerunt fines optimi conservationis: An aliquando civitatem suam gubernare cessabit Deus? An in nihilum rediget omnia, qui sua bonitate permotus, haec condidit omnia, innumerabilia propter creaturas racionales proxime, has cum reliquis omnibus ultimo ad gloriam suam? Estne vel minima ratio pro morte animarum, quae posset in comparisonem venire cum rationibus gravissimis, et homines de Deo sobrie cogitantes convincentibus pro earundem immortalitate?

Ad quid igitur ista haesitatio? Nunquid prudens suboriri suspicio posset, quosdam optare mortem animae, dum conscientia malefactorum felicem aeternitatem sperare vetat. Verum non adcommodabit se votis impiorum sanctissimus et justissimus Deus, cui a creaturis suis praesertim rationalibus laus, honor et gloria erit in sempiternum.

F I N I S.



756121

756121

756121